



2.

17

1.

2.

3.

4.

6.

17

1.



A. & S.  
DISPUTATIO MEDICA  
DE

10  
1718, 3.

# DIFFERENTIA INGENII ET JUDICII

IN  
MEDICO CLINICO,  
ANNEXO PROBLEMATĒ  
UTRUM ALTERI SIT PRÆFERENDUM?

Ob von einem vernünftigen oder verständi-  
gem Medico mehr zu halten?

Quam

SUB PRÆSIDIO

## DN. GEORGII DE THAR- DINGII,

MED. DOCT. & PROFESS. PUBLIC. DUCAL.  
ACAD. NATUR. CURIOS. COLLEGÆ  
CELEBERRIMI,

*PATRONI ET PRÆCEPTORIS ÆTERNUM  
DEVENERANDI,*

Ad diem I. Octobr. MDCCXVIII.

publicè ventilandam sistit  
RESPONDENS

### JOHANNES CHRISTOPHORUS HEINTZE,

Wittenburg. Megapolitan. Med. Stud.

ROSTOCHII, Typis NICOL. SCHWIEGEROVII, Ampliff. Sen. Typogr.



**V I R O**

Prænobilissimo, Excellentissimo, Ex-  
perientissimo, Amplissimo

**DOMINO,  
DN. ERNRSTO  
HEINRICO  
FECHTIO,**

MEDICINÆ DOCTORI INCLUTO,  
SERENISS. DUCIS MECKLEN-  
BURGICI CONSILIARIO AULICO,  
MEDICO UNDIQVAQVE CELEBERRIMO,

**FAUTORI, PATRONO,**

ac

*Promotori suo æternum colendo*

HOS STUDIORUM SUORUM ACADEMICORUM  
FRUCTUS OMNI, QVO DECET, HONORIS  
CULTU

offert ac dedicat  
Obsequiosissimus

JOH. CHRISTOPHORUS HEINTZE  
Respondens.



PROOEMIUM.



Enitanti mihi, unde Ars medica, omnium antiquissima, a DEO in salutem generis humani concessa, in se certa, & demonstrationibus fidei innitens, a tot Viris ex doctrina nobilibus & claris, per tot secula, cum magno studio, exculta, & tantæ undiqve necessitatis, non modo habeatur pro conjecturali, incerta, ac infida, sed reapse

in se contineat tot stochasmos, abundet tot diversis opinionibus, & controversiarum in illa tam plena sint omnia, ac in nulla alia arte? varia inciderunt momenta, quibus ista tribuerem. Nec tamen leve mihi hoc visum est, quod Ars medica præ aliis artibus in sui exercitio velit iudicium subactum, ast scientiæ prædævriticæ s. theoreticæ quæ ad illius notitiam comparandam præmittenda sunt, velint ingenium & hoc admodum oblectent. Pro certitudine memoratæ artis non aliud jam testimonium allegabo, quam desumptum à scriptis Hippocratis, quæ ultra bis mille annos fidem meruerunt & ad finem mundi merebuntur: pro opinionum varietate probanda non est ut verba faciam, ubi librorum illas exponentium mille testimonia adsunt: ad scientiæ vero subsidiarias quod attinet, sunt hæc, Linguarum studium, Logica, Physica, Historia, Anatomia, Mathesis, Botanica, Mineralogia, Zoologia, Chymia &c. Jam quoad singulas has ingenium non modo desideratur ut innotescant; sed occasio simul offertur largissima, ut istud circa illas poliendas admodum se exerceat, quia sva virate valde grata oblectant. Quid mirum! quando omnes illæ sub addiscenda arte medica concurrunt & manus amicas jungunt, quo Medicum futurum instruant & ornent, quod ingenium hic regnet? Abhinc quoq; est, quod non modo hodie, sed dudum satis, Studium medicum habitum fuerit pro perijucundo, unfer allen Studiis das Lustigste: item quod cædiora ingenia hic jubeantur exulare, zum Medico gehöre ein

A

auff

aufgewecktes Gemüthe: sed scientiæ, quia nondum ad culmen  
 perfectionis sunt perductæ, quod novas suggerant sub cultura  
 conjecturas, conjecturæ nova experimenta, nova experimen-  
 ta novas meditationes, hæc iterum novas æthiologias, quæ de-  
 nuo desiderent novam experientiam, & hæc rursus pariat no-  
 vas de causis & modo fiendi conjecturas, dies ita diem do-  
 ceat, & ingenium novis deliciis semper luxuriet. Ast! quan-  
 do ad praxin deventum est, non amplius ingenio vivere licet,  
 quando angusti morborum cancelli tam diffusas conjecturas  
 & speculationes amplissimas haud capiunt, affectuumve mor-  
 borum per certas periodos brevesve ambitus iter lubricitatem  
 variandi, & huc illuc devianti, haud admittit. Illic æmula-  
 ri Antecessores decori erat; hinc imitari laboris: Illic ratio Equo  
 generoso, aliquando etiam feroci, vehebatur; hic pedes ire &  
 placido gressu iter dimensum absolvere cogitur: Illic vel mil-  
 le paralysim nec unum necabant; hic unus, si habeatur pro  
 regula, ad mille occidendos sufficit. Res quippe ipsa monet  
 ad specialissimos casus, diffusas & generales theoriæ regulas pro-  
 videntem & manu suspensam applicare, veram morbi indolem  
 ex abyssu signorum protrahere, de illa protracta & jam oppug-  
 nanda certam determinare methodum, in hujus complemen-  
 tum necessario remediorum apparatu esse instructum, hunc  
 commodo tempore, justo ordine, ad æqvata mensura conten-  
 dare, & judicii lance minutissima quoque ponderare, quæ ratione  
 vitæ generis, ætatis, consuetudinis, temperamenti, hæredita-  
 riæ dispositionis, usuræ æris &c. possint esse, obstaculo. Quod hæc  
 non possint non ingenio luxurianti esse molesta, quivis jam vi-  
 det. Duro ergo huic jugo, quod praxis imponit, non æque om-  
 nes, qui ad praxin provolant, collum submittere volunt, vel  
 norunt, præsertim, quando sub ipsa, cum multa sollicitudine  
 suscepta & non citra fiduciam prosperi successus instituta, me-  
 thodo, modo animi ægrotantis mollities, modo adstantium  
 indulgentia, modo imperitia ministrorum, modo medicastri  
 vel infidi Medici accessus, magni cujusdam tyranni instar, om-  
 nem practici sollicitudinem pervadunt, & cum famæ detri-  
 mento ægros in novum periculum, novis curis superandum,

con-



conjiunt. Qvos tamen dura fors, non proximi amor, ad praxin cogit, hi (vel saltem sub primis praxeos annis) aut ad pristinum philosophandi modum novaturiendi animum retinent, & novas experientias consulunt: Fangen an allerley neues zu versuchen / gerathen auff neue Methoden zu curiren: aut subtilissimis ingenii rationibus praxin superstruendo morbos his volunt adæqvare; Fangen an zu künstselt: aut, quod familiarissimum, in Empiricos degenerant, vel doctos: da man dem praxi berühmter Medicorum und Ihrer Vorschrift schlechtbitt folget; aut indoctos: Da man sich behilff mit erkauften oder erhaltenen specificis, arcanis, mit abgeschriebenen Recepten; aut plane temerarios: da man auff ein Gott berathe Woll curiret, gellinget es / so gellinget es / eins werde doch müssen anschlagen &c. Quod si sub his circumstantiis Fortuna audaces juvaverit, non modo hi in sinu suo gaudent de prospero tali successu, sed casum hunc pro experientia habendo fiduciam non levem in illum collocant, si denuo morbus quidam analogus obvenerit, in quo tamen admodum falluntur. Origo ergo tot soloecismorum, tot conjecturarum, tot malorum successuum in praxi Medicea obvientium, tot inde scomatum fertilis mater neglectus est differentie Ingenium inter & Judicium: mala ergo illius in praxi applicatio. Absit tamen, ut velim Ingenium exulare debere in curatione morborum; est quippe huic etiam hic locus. Imo non pauca exempla prostant, Ingenium hos iterum cum sanitate in gratiam reduxisse, quos Judicium pro morti vicinis habuit, imo deploratis. Hoc jam volo, cavendum Clinico esse ne tantum in praxi medica det ingenio ceu olim, sed iudicio jam sceptrum conferat, si velit conscientia, fama, & saluti proximi condigne vacare. Siquidem vero, vel quantum mihi constat, nemo hoc discrimen Ingenium inter & Judicium in praxi medica observandum, ac quidem res ipsa postulat, exposuit, placuit vires proprias jam experiri, & speciminis Academici loco hoc Problema examinare: An ingenium, an vero iudicium, in Medico Clinico sit preferendum? Adspiret DEUS his meis conatibus, quo hæc vergant uti in commoda agrotantium, Medicorum solatium, ita etiam vel maxime in medica Artis certitudinem!

# SECTIO I.

## PRÆMITTIT GENERALIORA.

### CAP. I.

#### De DIFFERENTIA JUDICII ET INGENII IN GENERE.



§. I.

*Ingenium*, *Judicium*, termini sunt, si ad solas voces attendamus, adeo noti, ut quivis Nomenclator de illis nos informet, & præter alias, quas habent significationes, illis indicari (quod præsentis negotii est) den *Beistand* / *cuien Klugen Kopff* / unanimiter moneant: At, si cujusve naturam in se & abhinc differentiam, quæ illos intercedit, nosse desideres, adeo ignoti, ut non modo passim Philosophi inclutæ famæ, sed ex horum numero & hi, qui imprimis circa intellectum informandum versantur, aut omnino de illis sileant, aut in explicatione illorum, quod ajunt, corvos illudant hiantes, i.e. animum veritatis notiones desiderantem, minus saturent.

§. II.

Plurimi ingenii vocabulo complectuntur omnes vires intellectus, & in sensu hoc generaliori *Judicium* ejus speciem constituunt, quam vocant *δωραμνη καλῶν*; Alii *ingenium*, in sensu specialiori cum *docilitate* volunt esse synonymum, sive *virtute intellectus res & verba facili negotio percipiendi*; Alii *ingenium* consistere volunt in *virtute ideas componendi*, *Judicium* vero in separandi illas & discernendi vi. Sunt, qui omne discrimen inter *ingenium* & *Judicium* abijciunt & unam esse facultatem contendunt. *Anime se diversimode ad objecta applicantis*; Ut taceam hos, qui in allegando tali discrimine phrasium umbris se abscondunt, ut nullus



nullus Oedipus, sive ingeniosus sive judiciosus fuerit, formalem quendam conceptum inde elicere potis sit.

Variationibus talismodi quoniam ausam dederit Animæ intellectualis nondum satis patens naturâ, nemo negaverit. Spectat enim hæc ad ea *Seneca*, quæ esse concedimus, sed, qualia sint, ignoramus. Abhinc quoque est, ut nullos condemnare velim præcessorum ausus, quamvis onine punctum non ferant. Nam, quorum semitas sequi natura negotii negat, hos non sine commodo quodam evitare juvat, & solent ex naufragiis infames scopuli nautas reddere cautiore. Omnium minime mens mea est per aliorum in discernendo insufficientiam jam ascendere, sed cum illis experiri, quid vires ingenii mei, quidve iudicium meum, valeant.

§. IV.

Non parvum insuper roboris difficultati Discriminis, de quo loquor, addidisse observo convenientiam, quæ ingenium inter & iudicium est: nam in perquam multis circumstantiis symbolisant. Spectat & ingenium & iudicium ad hanc hominis prærogativam, quâ Creator voluit illum brutis multis parasangis antecellere & quam intellectum appellamus. Hujus quippe sunt brachia, quæ objecta non modo blande complectitur, sed etiam, quæ ideas inde oriundas diversimode distribuit, combinat, separat, jungit &c. Æque Memoria utriusque illarum se officiosam sistit, vel quatenus celeri retentione ideas vario modo aut sociandas aut divellendas suggerit, vel quatenus ad iudicii nutum perspectas olim res conservat, quo conservatas suo tempore iterum offerat. Nec tam magnum est discrimen, si ad modum attenderit, quo anima circa ideas versatur, quandoquidem sub ingenii auspiciis, æque ac iudicio imperante, index ab objectis, quæ surgunt, animam afficiunt: Ingenium æque ac iudicium circa illas se exercet & utrumque multifariam illas componit & sejungit.

§. V.

Quodsi præterea consideraverim, quam multi sint Philosophi,

4 SECT. I. CAP. I. DE DIFFERENTIA INGENII

Iosphi, aut ex Eruditorum numero hi, qui ad se spectare hoc negotium volunt, in distingvendis Ingeniis, vel cum HUAR-TO statuendo tres ejus classes; *Mnemonicam, Phantasticam, Intellectivam*; vel cum NEUHUSIO Ingenia dividendo in *Vulgaris, parva, tarda, mobilitate vaga, ad cogitandum hebetis, subtilia, subita, gravia, sortuosa, & intricata, mediocria, omnibus numeris absoluta*, vel cum SEMPRONIO GRACHO *sexcentas Ingeniorum diversitates determinando, quæ denuo in novae subinde sectiones abire aptæ sint*: Non minus, si cogitem, quam hic in illo desideret *conjecturandi felicitatem, alius applicandi promptitudinem, alius acuminis dexteritatem &c.* non adeo miros omnis discriminis rationem fuisse ab autoribus citius speratam, quam quod quis voluerit in abyssum differentia se immergere, ex qua illa fama emergendi vix spes quædam superest.

§. VI.

Quam vero arduum negotium hocce & quam inter Audaces reponendi, qui Pelago huic se committunt, in quo non una Charybdis, nec una Scylla datur (qui Ingenio enim aliquid dederit, habet, ut sibi metuat à *Judicio*; aut si huic blandiatur, Ingenium illum rideat & habeat ludibrio) allicere tamen quemvis hujus negotii capacem deberent uberrimi fructus abhinc expectandi. Persuasissimus quippe sum contemptui huic Discriminis tribuendum esse, quod inter eruditos sint, qui se ipsos credunt omnigenæ eruditionis suppellectile mactos & satis habiles ut dent omnium disciplinarum absolutum orbem, quamvis illis curta sit suppellex; Item, quod perquam multi ab aliis parum doctis evchantur in thronum solidæ eruditionis, sed quos solus nitor externus decorat; weil sie ihren *Wissenschaften* ten können ein *Färben* anstreichen / quando solide docti vix eum pro eruditulis habentur, sed quibus ipse Apollo dextram, si penes se staret, porrigeret. Neque ex minori ad præsens discrimen attentione, quantum ego capio, paradoxum hoc fluit, quod *Ingeniosi* aut constituantur, aut se ipsos erigant in *judicium meditationum*, quos *Judicium* subactum protulit, sed quia serio has introspicere, & quid sub fordido, ceu illis videtur, pallio lateat, investigare nec libet, nec licet, generoso, quod ajunt, contem-

contemptu easdem rejiciunt, si non illudunt: econtra, quando judicio valentes de *Ingenii* lusibus decernere jubentur, adeo ad tenue hos elimant, ut cum forma omnis quoque decor pereat. Mitto, ne diffusior sim, quæ plura damna in rem literariam & veritatis præjudicium ex oscitantia allegati discriminis omni die propullulent. Non tamen possum, quin doleam, quod Ingenium sub habitu valde specioso, imo regio, perfringenter incedat, de veritate notionum judicis instar determinet, Judicii amicos, si quando e latebris caput erigere volunt, ad ultimum Thule ableget, & quam omnes credunt diu sepultam esse Autoritatem, hæc in quovis ingenioso revivifcat, seque fertilem esse hypothesium matrem publicè ostendet. Nec ergo optari poterit Speculum nitidum magis, & quod Viri verè aut superficialiè docti imaginem exactius referat, ac discrimen memoratum, utpote in quo Philantia turgidus formam suam quotidianam: ab aliis, non tamen ob meritum, inter stellas primæ magnitudinis collocati fucum mendacem: qui vulgus doctrinæ vincunt nec in scientiarum profunda notitia deficiunt, speculi vulgi adversum orbem spectare & mirari poterunt: quivis vero eruditorum numero adscriptus contemplari suas meditationes, suas actiones queat, ut veras magis quidem appetat, falsas vero abscondat, aut, quod præstat, abjiciat.

§. VII.

Allicere præterea ad laborem hunc improbe subeundum poterit, imo debet, communis, quam in vita præstat usus, & in commercio cum aliis sævitas. *Deprehendas sæpe, ut verbis, Celeber. RUDIGERI, utar, Virum judicii optimi, cum res enarratur jocularis, quando reliqui homines judicio destituti, sed ingenio valentes, jam effunduntur in risum, ipsum adhuc frontem corrugare, nec nisi serijs joci nervum assequi: At hi ipsi tam felices in assequendo joco homines, sive mediocri ratiocinium proferatur, quid veri falsique substi? cum ignarissimis sciunt. conf. Ejus libr. de sensu Veri & falsi p. 39. Quid ergo magis justum, quam si res fit cum his, qui judicio valent, severitatem deponere; aut, sub consortio horum, quos ingenium ornat, jocosus & liberius dicere?*

§. VIII.

## S. VIII.

Vel eo magis abhinc affirmanda sunt, quæ in scriptis Philosophorum antiquorum reperiunda sunt huc collimantia vestigia. Jamdum certè PLATO huc digitum intendisse videtur, quando in *Lib. VI. de Republ.* hæc verba affert: *An ignoras quod iidem homines dociles, memores, ingeniosi, acuti, iisque rebus præditi, quæ inde oriuntur non sunt ac etiam fortes atque magnanimis ut tranquille, moderate, constanter vivant? Tales siquidem viri acuminis ipsius fervore quocumque contigerit, proferuntur, stabili animi & gravitatis expertes. Habitus autem ipsi animarum stabiles & à levitate penitus alieni, quorum in gravitate maxime consistendum, utpote qui in bello intrepidi sunt, ut in his immobiles sunt, ita ad disciplinas tardiores & hebetes. Torpent siquidem atque oscitant quoties eis est contemplationi invigilandum.* Clariora adhuc his prolatis sunt verba MAXIMI TYRII: *Plerumque inquit, id evenit homini, ut quo facundiore sit ingenio, eo minus valeat iudicio.* Non jam inquiram an TYRIUS ingenii vocabulum pro memoria adhibuerit, ceu nostrates asserere solent, qui memoriæ polleat, quod deficiat iudicio: in hoc omnes consentient, verba ipsa invitare successores potuissent, ut quid discriminis sit ingenium inter & iudicium, majori scrutinio pervestigassent.

## S. IX.

Sed ad Differentiam tandem ipsam. Non possum, quia iterum iterumque laudem curas supra citati RUDIGERI, admodum enim in eo fuit, ut tres has intellectus facultates, *Memoriam, Ingenium & iudicium* curatius evolvat. Est vero ipsi Ingenium vis intellectus, quæ idearum compositione & divisione viam aperiat ad reconditiores veritates. Iudicium vero rem componendi ideas & dividendi uti verè a se, secundum manuductionem sensuum componi debent & dividi. Binas has ergo facultates in hoc differre contendit, quod ingenii compositio & divisio sit solum possibilis iudicii vero, quod sit necessaria. Quantumvis enim, quod non displiceat & quod cordate profiteor (an culpa in me resideat? an illi iudicent) quantum etiam ingenium meum & quantum iudicium meum circa sensum huius discriminis mihi comparandum

randum exercuerim, quam legerim & relegerim pro explicando illo discrimine subnexa verba, capere tamen formalem illam differentiam inter idearum compositionem & divisionem *possibilem & necessariam* non potui: cum præter alia intellectu mihi ardua *possibile & verum* non formaliter distent, veri vero ideas ingenio, ad mentem Authoris, tribuere nefas sit; ansam tamen dederunt huic negotio intimius ut me applicuerim, & trutinatioe hinc inde facta, quæ anima circa ideas sit occupata, formalem differentiam rationem repositam esse in hoc repererim, quod *Intellectus sub Ingenii exercitio sit occupatus circa ideas objectorum speciosas; sub Judicii vero circa ideas objectorum absconditas: illas, ut placeant, has, ut innotescant.*

## §. X.

Non me diffundam in evolvendis aliis differentiis, quæ vel ratione *ordinis*, ubi *Ingenium* *Judicium* antecedit, vel ratione *vigoris*, quo unum altero antestat: vel ratione *promptitudinis*, quæ in *Ingenio* major ac in *Judicio*: vel ratione *constantia*, quæ iterum major in *Judicio*: vel ratione *utilitatis* &c. afferri possent; nec enim his cancellis, quos mihi fixi, includi illa omnia possunt, nec adeo præsentem meum scopum feriunt. Æque abstinebo a modo illo, quo anima Intellectum instruit, ut hic denuo vires suas experiatur. Sufficere speraverim, allegasse Animam his potentiis esse instructam, ut non modo per sensus sese informet de objectis quæ extra se in hoc mundo visibili obveniunt & collocata sunt, sed ut hæc Informatio illam magis magisque ducat ad primum omnium illorum Authorem, & abhinc Huic magis magisque alliget. Hæc Informatio, ut scopo suo sit conformis, equidem & a solo obtutu & superficiali contemplatione oriunda est, magis tamen si omnia objectorum phenomena trutinentur, ponderentur, examinentur, evolvantur, quæ videntur discernantur ab his, quæ sunt, & natura unius cujusvis ad unguem pateat. Illa, jam facultas animæ est, quam sub ingenio, hæc, quam sub judicio intelligere jubemur. Illa ergo ex sui natura prompta est ad ideas speciem referentes recipiendas, magis haret circa rerum apparentiam, splendorem, fulgorem &c. ideas ita sibi oblatas fovet,

vet, amat, deamat, quo magis tales sunt; gaudet, imo, quo magis tales fiant occupata est, & jungit alias, quæ huc conferre novit, aut sibi persuasum habet; e contra spernit, quæ tali splendore destituuntur, aut averfatur easdem. *Hæc ex sui natura de externo objectorum splendore vel facie minus sollicita, novit enim hæc fallere posse, se demergit ad altiora, nec tempori nec labori parcat, quin intimiora objectorum sibi consentent; Ab omni parte ergo ideas oblatas versat, veras a fictis disjungit, illas iterum combinat & non ante statuit, quam sibi veritas confiterit.*

## §. XI.

Quod jam attinet originem variationum, quas mille in *Ingenio & Judicio* se sistunt, quivis, & me tacente, jam observabit dependere has vel a *majori vel minori intellectu* circa objecta *applicatione, a majori vel minori intellectu habitudine, & quam informatio & crebrum exercitium* hic valeant.

## §. XII.

Nec tamen Discriminis hujus fundamentum spernendum esse judico, quod repositum est in ratione *Commerci animæ & corporis*; eo magis, quia anima, uti corporis sui, ceu admodum grati habitaculi, ergo, admodum in suis negotiis variat, ita vel maxime etiam vires suas exferit ad typum motuum, quem Proportio inter solidas partes corporis & fluida aut concedit aut injungit. Est quippe corpus nostrum, ut flexile sit, & de loco in locum blande moveri possit, artificiose admodum ex mollibus fibrillis, in carnes colligatis, conflatum, quas iterum pro conservatione illarum, & robore ipsis conciliando fluida interluunt & transeunt. Transitus hic liberalis est, sicubi nec quoad carnes densitas vel laxitas remissior obstant, nec quoad fluida, transitum affectantia, vel in qualitate, vel in quantitate, vitium; Ast minus liberalis, sicubi in uno jam memoratorum culpa. Obtinet hoc vel quando non sine aliquo conatu transitus hic per agitur, id quod observatur, quoties carnes compactiores sunt, fluida quamvis sibi consentent; vel quando idem fit minus interrupta pressione, dum carniū densitas & fluidorum

rum spissitudo concurrunt; vel quando languido gressu succedit, dum spongiosa carniū mollities fluida citius admittit, quam distribuit. Imperium & iusta pro hocce transitu sunt penes Animam, cui totum corpus vacat & vacare destinatum est. Hæc iterum non nisi ad leges proportionis illius imperium futurum absolvere potest; hisce ergo se accommodet, opus est, & quia dies noctesque negotium illud observat, tandem sibi consuetudinem inde contrahit, quæ efficit, ut in aliis quoque rebus expediendis typum similem seruet, quamvis magis ad se ipsam quam ad corpus spectare videantur. Reposita in his momentis est illa non *probabilitas* sed *certitudo*, quæ hi qui Temperamentorum notitia instructi sunt, vel ex solo corporis habitu determinare possint, quinam ex numero adstantium sint *animi* vel *hilarioris* vel *audacis* vel *segnis* vel *suspiciæ*? Æque ex allatis ratio fluit, quare, *qui olim animi valde depressi & pigri aliquando a morbis perpressis surgant animi multo vividioris & ad jocos compositi*? E contra morbi hos aliquando reddant *stupidos*, *qui, dum valuerunt, doctrina suere fulgidi*? tales scilicet si morbi fuerint, quæ proportionem supra allatam invertere & transitum fluidorum, aut promovere aut retardare potis sunt. Quod si his Experimentiam addamus non adeo raram, quam scilicet idem animus pro corporis statu sano aut morbido variet, nunc in jocos pronus, nunc omnem jocum abjurans? id quod in podagra vexatis nimis quam familiare est, dubium nullum remanet, animæ vires cum statu corporis symbolizare, & ad hujus constitutionem illas quoque sese exferere.

## §. XIII.

Veritas modo prolatorum de analogia virium intellectus cum corporis habitu non hodie demum sed dudum jamdum Physicis induxit, ut de animi moribus ex habitu corporis non infelix augurium desumpserint. Præ aliis vero eleganter de his NEUHUSIUS in *Theatro ingenii humani Lib. 1. pag. 35.* *Tanta, inquit, corporis animiq; est cognatio, tanta morum humorumq; consensio & propinquitas, ut abdicam naturæ indolem externis utringue indicibus prodant, & mutuam tacite affectionis imaginem, tanquam*

*in speculo sibi præsent. Ut enim ex animi constitutione morumq; habitu certum de humorum temperie, & membrorum valetudine, documentum petitur: Ita corporis temperatio, qualis delitescat intus animus, quæ nata aut assumpta morum subsit indoles, quid tacito promatur sub corde, arguit forasq; effert. Ita visum fuit naturæ matri, ut animis corpora conformaret aptatisq; ad illorum functionem membris latentis ingenii indolem in externo corporis habitu adumbraret. Variæ igitur corporis constitutio facultates morosq; animi variat: qui membrorum conformationem & temperamenti conditionem sequi plerumq; solent. Neque vero insita solum & congenita, sed adsciticia etiam corporis indoles illam morum atq; animi componendi vim habet. Clarum ejus rei in se ipso quisque homo, si experiatur, habet documentum. Dolendum modo, quod amor hujus notitiæ alios eò seduxerit, ut, dum quæcunq; lineamenta corporis voluerunt esse morum indices, ipsam hanc notitiam risui exposuerint & contemptui.*

## §. XIV.

*Siquidem vero raro Natura duorum hominum formas ita inter se pares effinxit, ut eadem esset, in utrisq; vel plane difficilis ad distingvendum similitudo, sed in hominibus formandis tanta varietate versatur, ut, qui in eam rem se mente & cogitatione conjiciat, se ad incredibilem admirationem effert atq; abstrahi sentiat: ita idem in animi viribus usu venire, & hos mille modis variare Omnes nos docent, quos frequentamus. Non hoc volo ac qui Ingenio valeat omni penitus Judicio destituatur, aut quem, hoc commendat, illi Ingenium desit: Injurius forem in Creatorem, qui omnem animam his viribus beavit, ut & delicias & fructus ex objectorum ideis capiat, sitq; memoria comes, quæ illas Ingenio, hoc iterum præxeneta, quæ Judicio eadem commendet. Habeo tamen mihi pervasum, etiam si vniuersi positio non sit alterius exclusio, quod vix animus inter se tam æqualis reperiatur, ut binæ hæ vires intellectus æquali gradu incedant, aut in excellentiori gradu combinatæ sint, quin regnante altera, altera deficiat. Exemplis hoc roborare labor foret inutilis. Præter enim quod Vitarum Scriptores illa affatim*



affatim sistant, quemvis de eo informare poterunt & Doctorem colloquia & horum *Ingenii* factus: Denn der Apffel fällt nicht weit vom Stamm.

S. XV. Arduum magis foret decidere, *quenam* ex binis istis facultatibus intellectus frequentius scepra capiat, *Ingenium*, an vero *Judicium*? nisi jam dum ex præcedentibus constaret, *Ingenium* captare speciosa & superficiem lambere magis quam corticem frangat. Siquidem vero minorem difficultatem animo parit ideas combinare, quales jam offeruntur, quo oblectamento sint, ac de his dubitare velle & ex plurium testimonio demum statuere: tum quoque *Ingenium* ordine *Judicium* avertit, lubentius ergo *Ingenio* se anima mancipat, ac ut *Judicio* auscultet. Accedit, quod in Ideis primis colligendis, dum adolescimus, mollities corporis & teneritudo mentis nondum admittant rigorosum illud idearum examen & harum versationes. Vis ergo consuetudinis mentem per omnem vitæ decursum habet constrictam, ut patulas aures *Ingenio* potius præbeat, & in hujus relatione acquiescat, ac quod velit indagine saga & sedula ruminacione *Judicium* exercere.

## CAP. II.

### AFFERT DIFFERENTIAS QUASDAM SPECIALIORES INTER INGENIUM ET JUDICIUM.



S. I.

Vantumvis DREXELIUS & ENGELGRAVIUS, quos binos citat SEMPRONIUS GRACHUS in *Medico hujus seculi* pag. 26. Hos vitiosos dicant, qui tam seduli sunt in diversitate ingeniorum computanda, me tamen in classem talium nemo collocaverit, quando jam ad differentias circa intellectus vires curatius evolendas me accingo. Non enim mihi res erit de *Ingeniis* referre, quan-

B 3

quan-

quantum hæc inter se distent, sed, qvæ sit discrimen speciale inter *Ingenium* & *Judicium*. Magis habeo ut verear me accusari posse oscitantia cujusdam, quod non omnes differentias sim allaturus, quæ hic ob venire videntur, imo pauciores illarum tantum referam. Siqvædem vero tam diffusa materia angustis Disputationis academicæ cancellis includi negat, nec etiam præfens meus scopus, ut eo dilabar, a me exigit: meo me officio cumulate satisfecisse persuasus sum, si has differentias enumeravero, quæ ex nexu corporis & animæ quoad binas illas Intellectus vires fluunt, quia has præmittere connexionis ratio a me desiderat. Illam tamen Spartam, ut occurrent, qui me, & *Ingenio*, & *Judicio*, & otio, vincunt, eandemque ornent, eo magis commendo; ampla enim mensis restat.

## §. II.

*Viget Ingenium* IN PRIMIS ÆTATIBUS; *Judicium vero* IN ÆTATE CONSISTENTE ET SENILI. Mollities corporis sub primis ætatibus haud permittit tam feriam idearum compositionem & divisionem, ut cum attentione quadam in cerebro peragantur, quandoqvædem ad omnem cogitationem paulo profundam sanguinis requiritur uberior in cerebro affluxus: hic majorem solito vasorum intra cranium distensionem; vasorum major solito distensio sensum dolorosum, qui iterum tardium parit. Hoc ergo ut declinet, abstinere Anima a profunda objectorum meditatione, intellectus autem in *Ingeniis* viribus acquiescit. E contra in ætate consistente, magis adhuc in senili, robur vasis inest, ut non ad quemvis affluxum uberiorem doleant. Accedit consuetudo sensim inducta, quæ promptitudinem quandam insimul peperit, ut citra anxiam talem idearum compositionem objecta indagari possint, & de ideis Anima statuere. Nec ergo tardium illud obrepit, quod olim, sicq; jam intellectus *Judicio* indulgere poterit liberalius & serio magis.

## §. III.

*Viget Ingenium præ* *Judicio* in SANGVINEIS: *Ingenium sed* magis adhuc *Judicium*, in CHOLERICIS: *Judicium præ* *Ingenio*  
IN

QVASD. SPEC. INTER INGENIUM ET JUDICIUM. 19

IN MELANCHOLICIS: *neutrum* IN PHLEGMATICIS.  
 Nexus hujus asserti qvarendus est in transitu varietate, de quo  
 dixi in Cap: precedent. §. 12. Nil magis concordat ac sub fa-  
 cili sanguinis reliquorumque fluidorum per carnes itinere ani-  
 mum esse hilarem, negotiis suis cum gaudio vacare, ita quoque  
 non diu & morose circa objecta harere; ut demum innotescant,  
 sed prompte arripere, quas ideas illa sensuum interpretatione  
 offerant, & circa has libero animo ita versari, ut placeant.  
 Est ergo, quod *Sanguini* promptitudine ingenii longius superent  
 alios, quibus in *Judicio* cedunt; quod gratis inventionum  
 modis se reddant omnibus amabiles, quamvis *Judicio* valentes  
 pondera rerum in illis desiderent. Qvoad *Cholericos* in quibus  
 ut animus difficiliorem transitum, (nam hic carnes proximius  
 sibi accumbunt) impetu quodam procuret, vitæ continuatio  
 vult, idem advescit huic violentiæ adeo, ut quas etiam ideas  
 sensus suggerant, has citra molestiam admittat, sed non antea  
 dimittat, quam sibi in connexionem, quam vult, vel disjunctio-  
 nem, obsecundaverint. Siquidem vero typus ille vitalis  
 impetuofus aliquam audaciam insinuat, dum non sine quadam  
 vi, ex consuetudine, licet blanda, diu continuare potest,  
 est quoque, quod illa sese quoad actum *Judicii* in Cholericis  
 exerat, & hi moræ impatientiores multoties, si non semper,  
*Judicio* antevertant tempus, quod idearum compositiones &  
 divisiones postulant: **Haben nicht lange Gedult über eine  
 Sache zu seyn / derselben nachzudencken / sondern gehen  
 darauff loss;** rumpere ergo malunt, quam flectere. Vix  
 elegantius noverim exemplum talis modi animi ac fuit ALEXANDRI  
 MAGNI, de quo CURTIUS passim. De *Melancholicis* ratio in  
 aprico est, quare *Judicio* omnes superent, *Ingenio* vero  
 omnibus cedant? Haud quippe transitus ille memoratus  
 alium rythmum Animæ imprimat ac tardum & circumspet-  
 tum, siquidem carnes sunt compactæ, fluida quoque spissa.  
 Qui vero tentaverit liqorem quendam crassum sed prætiosum  
 per densatum linteum transprimere, is quidem observabit,  
 non modo continua pressione esse opus eaque circumspet-  
 ta, sed pe-  
 singu

singula momenta metum manere, liqvore substiturum fore. Eadem vero obtinent sub transitu liqvoris vitalis i. e. sanguinis per compactas fibras carneas: eadem ergo pressio: eadem circumspectio animam detinet: idem metus illam manet. Rythmus ergo & methodus animæ circa vitam continuandam observandus se in his individuis circa intellectus operationes exerit. Non hic accelerat gradum, ut annuat vel renuat statim ac ideas per sensus occurrunt, sed moras his festinantibus ponit, scrupulose, & cum studio eas examinat quoties combinat vel disjungit, imo hæsitat adhuc, spemve metumve inter librat, an objecta sint ejus indolis, quam præse ferunt, vel an fallant sensus? Quod si vero semel decreverit non æque facile de sententia remittit, quin tenax sit ad stuporem usque. Observamus ergo, quam *Melancholici* in consiliis ferendis circumspecti! quam in rebus periculi plenis circumstantias quasvis scrupulose pensitent! quam in scriptis suis parum dent, fucō & splendori! quam formalitium illorum tædiosum sit! quam grave cum illis controversias alere! Summatim, quam ratio pateat, quare *Ingenio parum, Judicio vero admodum, excellant?* De *Phlegmaticorum Ingenio vel Judicio*, quin aliquis quidquam laudabilis sibi promittere possit, æque facit Animæ applicatio segnis ad objecta & ideas abhinc nascentes, ac illa circulum humorum ex fibrarum carnosarum mollitie spongiosa, ipsorum itidem humorum lentore, non nisi langvide & otiose perficere novit: Ex quo est, quod illi inter stupidos regnent, imo aliorum imperium & curas libenter admittant.

## §. IV.

*Viget Ingenium magis IN OBESIS; Judicium vero in MACILENTIS.* Veritatem hujus discriminis jam olim ab Experimentia Philosophis constituisse, colligere est, tam ex testimonio TULLII, qui judicat, *quemvis valentissimo corpore longe abesse a sapientia*: quam ex PLATONIS verbis: *Non recte se habere Animum in densō, aut lucido, aut molli nimis.* Non minus consensus unanimis veterum Doctorum huc collimat, monens, tanto minus animi vires nostri intendi ac perfici, quanto magis corporis robur

*et carnis moles imminuatur*; conferatur CASPARI a REIHES *Campus jucundarum* *Quæst. 27. §. 19.* Quodsi ad exempla attendamus, ridentur ab omnibus GORDII, qui Regem creare soliti fuere eum, qui esset inter ipsos quam maxime corpulentus: laudantur vero LACEDÆMONII, qui adeo in obesos odio impulsus hos non modo pro ignominiosis reputarunt, verum etiam in juncta legibus multa acerbius plexerunt. Fluit autem discriminis ratio ex modo memorata differentia virium intellectus a temperamentorum diversitate petenda. Non facile videas vel Sangvineum vel Phlegmaticum habitus macilenti nec Cholericum vel Melancholicum, qui pingvis corpore & nitidus sit. In illis autem valere plus minus *Ingenium*, in his vero *Judicium*, in §. præced. evictum est.

§. V.

*Viget Ingenium magis in FOEMINIS; Judicium vero in VIRIS.* Non adeo negaverim ad hujus discriminis rationem multum conferre informationem, quæ virilem magis sexum tangit, ac quidem femininum; non minus applicationem magis seriam ad res *Judicio* expediundas hic esse attendendam, quam officia & negotia a Viris in reipublicæ commoda & gloriam expediunda nunquam non desiderant & injungunt; at æque mollities corporis feminini in censum differentia allata venit, quæ Viris illa cedunt, & cedere ex sibi relictis negotiis jacentur; illam autem *Ingenio* magis propriam, quam *Judicio* esse §. 3. retuli. Quantus jam sit Catalogus seminarum doctarum & eruditione excellentium, attamen non minus insoliti dixeris, si femina se ad res *Judicii* applicuerit & in his se Virum præstiterit, ac quando femina Bassum amplo gutturo canit.

§. VI.

*Viget Ingenium magis IN RECTE VALENTIBUS; Judicium vero IN MORBO DETENTIS.* Sub valido quippe corpore anima suaviter motus suos adornat qui corporis ergo sunt expediendi, debito tempore monet ut in nutrimentum accedant alimenta nova hæc, si accesserint citra magnam difficultatem

tem pręparat, ut usui sibi sint abhinc per corporis meandros sine remora distribuit, & apponit in locis debitis, quo nullibi defectus obrepit: effoetos vero humores, & una cum his quisquillas per organa, excretionibus dicata, facile excludit. Ad hunc ergo modulum tum quoque Intellectum instruit, se (nisi vel officii ratio vel dura necessitas aliud iusserint) objectionis nisi blande applicat & ideas inde oriundas amat & fovet, non ut negotium faciant, sed ut oblectent. Ast, si morbus corpus obsederit, habet anima, ut cum sollicitudine majori suos motus in corpore instruat, vitium emendet, undique insuper vigilet, ne nova incommoda surgant. Æque sub hoc statu corporis Intellectus ideis obvenientibus per sensus, aut quas memoria reddit, se magis tradit, has majori patientia auscultat, & detinet tamdiu, quo verum loquantur, id est, *Judicio* falsę jam tradit. Nunquam velocius metamorphosin hanc observare licet ac in *Duellatoribus vulneratis*; Quos ex illis glorię spes ad cęlum evexerat, & quibus animum non levem *Ingenium* addiderat, hos a vulnere inflicto videas admodum animo prostratos spem salutis projicere & temeritatem suam fuispiris luere. Mutatio illa animi equidem sed tardior in aliis morbis æque obvenit, præsertim acutis, ceu in quibus vitę periculum quoque imminet, præsertim si quando tunc objecta obveniunt scrutinio digna: imo hæc intimior Intellectus quoad *Judicium* applicatio *Divinationibus* fores pandit, quę in moribundis non adeo raro occurrunt; Ast, si quando periculum mortis fuerit superatum, nec ergo anima amplius habet, ut motus vitales tam anxie dirigat, ut plurimum animus in sensu tam physico, quam morali, ad *Ingenium pristinum* redit, imo dulcidine hujus de novo allectus magis illi indulget, ac quidem olim: ut inde proverbium sit enatum: *Da der Krancke genas/ se ärger er was (ward.)*

## CAP. III.

DELINEAT  
MEDICUM CLINICUM.

## §. I.

Vi primus Medicinam dixit *Artem gratiosam*, respexerit, iudico, ad uberrimum commodum, quod magno fœnore omnes mortales ab illa capiunt, ut gratias referre haud satis valeant; sed æquo jure, si non majori, *Artem illam medicam* dixeris *mediam*, non modo ex eo, ac si illius Cultores mediis quibusdam h. e. temperatis rebus sanitatem tueantur: sed, quia in medio hominum seu centro collocata est, ut ad illam omnes mundi incolæ ex ambitu terrarum confluant & illi placere studeant. Hinc non impingam, spero, si commune hoc dicterium: *Keine Profession habe mehrere Fuscher oder Böhnhafte / als die Medicin; in versurus sim, affirmando: Keine Profession habe mehrere Liebhaber / denn die Medicin* modo, quod facile concesserim, non omnes Amalici æque calleant artem amandi & abhinc se ipsos cum Dilecta contemptui tradant & risui. Non jam vero vacat de his omnibus agere, sed de his speciatim, quibus iterum Ars Medica se facilem præbet & CLINICI audiunt.

## §. II.

De *Etymologia* hujus Appellationis, quoniam aliquid moneam, vetat cura JACOB: PANCRAT: BRUNONIS: utpote qui monet vocabulum Græcum, κλινικον, quod lectum significat, illi originem dedisse, quod denuo descendat a κλυεο-σας recubare, vel reclinare. Nec jam multus ero in *Synonymia* illius examinanda, quo jure, quæve injuria ægrotis ipsis, quia lecto affixi sunt, titulus iste competat & an loquendi formula valeat: *Diesser / Jenner / sey ein Clinicus*, quæ solemus valetudinarios indigere? quandoquidem enim verba valent sicut nummi, nomen *Clinici* proprio sensu dandum erit ipsis *Artesibus Medicis*, quæ non

non verentur agros lecto affixas adire & horum medelam, ceu praesentes, in se suscipere: Aerate/ welche die Kranken besuchen / und ihnen Argencyen verordnen.

## S. III. MEDICUM

Annon vero omnes Medici Clinici? Ante HIPPOCRATIS tempora morem invisendi agros non adeo invaluisse, certissimum est. Antiquissimis sane temporibus ex diata frugaliori morbi interni haud erant tam frequentes, aut si qui suboriabantur, diata regulis & abstinentia facile iterum componebantur, Pharmacia, in quantum quidem innotuerat, pro malefica habitata. Quoad morbos vero externos & imprimis quoad vulnera in bellis inflicta erat Chirurgorum cura occupata; adeo, ut Medici istius Aevi non nisi Chirurghi fuerint, & Chirurghi iterum Medici. Siquidem vero abhinc tam misericordia mutua, quam divinus cultus homines compulserat, ut vel in computa delatis agris enarrarent, ex quibus olim convalescerint, vel remedia haec tabulis inscripta parietibus templorum affigerent, est, quod succenso in Epidauro Esculapii templo HIPPOCRATES tabulas istas complures ab igne vindicaverit, & in ordinem ac regulas, quae inscripta erant, redigendo, non parum lucis scientiae medicae addiderit. Accessit itaque Medicos lubido pro majori sibi experientia comparanda ipsos aegrotos in lecto decumbentes adire, pharmaca propinare & de regimine servando, ac diatae momentis, tam agrum ipsum, quam adstantes, informare. Mos ergo hic ad nostra usque tempora remansit, ut hodie vix unum Medicum inveniamus, qui non sit Clinicus, nisi solos Professores in Academiae exceperis, si quando horum Salaria permittunt *παρασργον* Praxeos negligere. Imo quae visitationes aegrorum olim fuere liberrimae voluntatis, hodie tantae judicantur esse necessitatis, ut officia haec Medicorum in obsequia fuerint mutata & nisi hi publicam indignationem incurrere velint, quasi patientes negligant, semel, iterum, tertiave aliquando vice de die illos visitare cogantur, adeo inter Clientelam & Medicinam hodie vix differentia, de quibus tamen jamdum conquestus est Cel. STAHLIUS in *Program. de Visitatione aegrorum.*

§. IV.



## §. IV.

Non crediderim necessitatis fore, ut moneam *Medicum* *talium Clinicum instructum esse debere sufficienti apparatu notitie medicae.* Quodsi enim vel inter artes infima suas habeat regulas, ad quas non modo se componat, requiritur, qui artem illam tractat, sed quas ad unquam calleat opus est, si velit laude vel mercede dignum aliquid efficere; Quidni in Artium omnium acceptissima, regulis perquam multis iunixa, necesse foret, lubricationibus & assiduis in studiis vigiliis eam sibi eruditionem comparare, quæ sufficiat ad praxin citra conscientia labem & artis detrimentum cum solamine ægrorum & Reipubl. commodo exercendam? *Non omnes,* (verba sunt Cel. HOFMANNI in *Disputat. de Different. Medic. & Medic. Pract.*) *qui verbum DEI sacrum coram cætu hominum proficiunt, vel explicant & viam ad eternam salutem monstrare possunt, statim præstantium Theologorum numero accensentur: neque omnes, qui causas in foro agunt, vel innocentes defendunt, statim Jurisconsultorum nomen sibi vindicare possunt: neque qui Mathematica agunt, agros vel turres excelsas dimetiuntur, aut ædificia exstruere noverunt, Mathematici statim salutandi sunt. Parili modo se res habet cum Medicina, ubi non omnes, qui per picos & urbes obambulando se fatigant, & morborum curationibus præsumunt, statim Medici (Clinici) titulum promerentur. Sed is demum qui recte de morbo, ejusque causis, eventu, nec non quid noxium & proficuum ad sanandum morbum & ad vitam & sanitatem tuendam sit, judicare potest; in quo, ut valeat, informatione opus habet eaque fida.*

## §. V.

Nec ergo sine maximis rationibus quis desideraverit à Medico tali Clinico; & pro necessario requisito habuerit, ut DOCTORATUS titulo sit decoratus. Observo equidem tam MASCARDUM, inter Jurisconsultos non minimi pretii, in hac sententia esse ut Medico non Doctoris titulo insignito credendum in his sit, quæ ad Medicinam spectant, modo ex communi loquendi consuetudine Medicus dicatur, conf. Ejus Volum. 2. concl. 1037. n. II. quam JOH. FRID. RHETIUM inter Antiquitates

fites Juris Viadrinos haud ultimum, pollicem illi premere, in  
*Differe. de Medicis cap. 1. §. 10.* Siquidem vero plures Doctorum  
 pro affirmativa faciunt, nec ipse *Mascardus l. c.* neget, requiri  
 tamen, ut de scientia talismodi insigni constet, eaq; sit approba-  
 ta, &c. valeant verba autoritate gravis *BARTOLI in L. 10. C. titul.*  
*52. C. de Profess. & medic.* *Non debet quis admitti ad docendum*  
*(nec ergo ad curandum) nisi fuerit approbatus & examinatus*  
*in moribus & scientia & ideo propter defectum morum & sci-*  
*entiarum possunt licite reprobari: ad hanc approbationem re-*  
*quiritur presentatio & juramentum Doctorum.* Loquun-  
 tur insuper & verba pro me faciunt Pragmaticæ Constitutiones,  
 quibus non citra summam rationem Academicis injungitur, ante  
 in studia & profectus horum, nec semel, sed iterum iterumve, ri-  
 gorose inquirere, qui Praxin medicam exercere abhinc volunt,  
 quam hæc scientia illis concedatur; concessio vero hæc publi-  
 cò testimonio, i. e. collatione gradus Doctoratus palam fiat.  
 Quodsi mihi quis objiceret, & gradum Doctoris in Academicis  
 aliquando indignis conferri, aut pretio aut precibus impetrari  
 solere, nec ergo hunc titulum Criterium fidum esse Clinici e-  
 ruditi; responderem cum Jureconsultis in bonas Academicas  
 non cadere suspicionem, nec præsumendum esse concedi fri-  
 vole facultatem curandi his, qui modo necandi facultate ex  
 imperitia valent. Quodsi mos ille, quem in nonnullis locis  
 DN. PRÆSES observavit, undique obtineret, ut neque hi sta-  
 tim admitterentur, aut cooptarentur in ordinem Medicorum,  
 qui a Professoribus Academicis examinati & Doctores Medi-  
 cinæ renunciati sint, nisi sub manu ductione Archiatri cujus-  
 dam experientia fulgidi praxin prius exercuissent, eo magis  
 Clinici constaret peritia & fides. Vorum certe jam hoc fuit  
*PERETZII ad tit. C. de Profess. & Medic. N. 21.* Momentosam  
 hanc rem cordi quoque habuerunt Proceres Reipublicæ Lube-  
 censis, quando nuperrime adhuc in der Revidirten Medicinal-  
 Ordnung A. 1714, cap. 1. §. 12. & 13. has leges dederunt: *Wann*  
*neüere auff wohlbekandten Universitäten promoti Doctores*  
*Medicinæ als hier ankommen / und ein satzames Zeugniß haben /*  
 das

das Sie in ihrer Profession dermassen fundiret sind / das sie selbst  
ge / wo sie wollen / ausüben können / so soll ihnen dennoch ohne  
vorwissen d. Edl. Hochw. Raths in dieser Stadt die Praxis  
nicht verstatet werden. Zu dem Ende haben sie sich zuorderst  
bey dem ältesten Hn. Bürgermeister / und nachgehends bey de-  
nen *Physicis* anzugeben / ihre Intention zu entdecken / nebst Über-  
reichung des *speciminis Inauguralis*.

## s. VI.

Quodsi jam nec ille Clinicus dicendus, qui artis peritus,  
haud tamen testimonio publico peritiam suam decorari & pu-  
blico Sigillō munire curavit, quidni ē Clinicorum numero fo-  
rent relegandi Agyrtæ, & Circumforanei? Quodsalber /  
Wart, Schreyer / Narren Doctores? Quibus hi verborum  
strophis, qua artis ostentatione, quo vestitu noverint seducere  
alios & studeant de ægris bene mereri, sunt Stellæ errantes in  
caelo medico, quorum aspectus non nisi calus tristes Reipubli-  
cæ annunciant. Nolo prolixior esse in erroribus his detegen-  
dis, nam & plures terra tegit. Jam dum in illis detestandis  
occupati fere FORESTUS, TIDICÆUS, SEMPRONIUS  
GRACHUS & passim Medici alii complures. Referam tamen  
fata Empirici talismodi (quondam famuli chirurgi cujusdam)  
hanc urbem intrantis, ex quibus, qui intelligere vult, ceu ex  
monstruoso ungue hos Cumanos Leones judicare poterit. Ac-  
cesserat ille ceu alter Esculapius terris dono datus & erudition-  
nem suam schedulis s. per tubicines, undiqve divulgabat. His  
testibus tot mortuos resuscitaverat, tot hydropicos aquis li-  
berarat, tot cæcis reddiderat visum, tot herniosos restituerat,  
tot agonizantes in pristinam reducerat sanitatem, tot magicos  
morbos compescuerat ut in suo sinu se sanitatem prosperam  
& adversam portare dixisset. Accidit vero, ut in conflictu le-  
viter vulneraretur supra spinam ossis Ilei, antrorsum versus,  
id quod vulnus ne quidem obambulationem in conclavi ar-  
cebat, quin animo hilari esset & gloriabundo. Tertio die cla-  
pso DN. PRÆSES illum ad instantiam hujus, qui vulnus infli-  
xerat invisens, observat equidem plagam inflictam omni pe-  
riculo

riculo vacare, ast, quo experiretur quantum scientiæ huic Thraſoni inhabitaret, monet de periculo ex obambulatione, quod vulnus penetraverit in renem ſiniſtrum. Vix vero pedem inde retulerat, quando denuo vocatur à vulnerati amicis, quod ille in agone eſſet conſtitutus. Accedens ergo videt anguſtiis maximis oppreſſum cum pulſu debili, & ſudore frigido frontem irrorante. In cauſam hujus tam ſubitæ mutationis inq̄renti, vulneratus ſubmiſſa voce: *O! me miſerum, qui per renem vulneratus ſum jam dum me ſentio mortis faucibus intruſum!* Subridens hinc DN. PRÆSES, prævia de inſcitia in rebus medicis admonitione, facile faucibus iſtis eundem eripuit, in quas propria ignorantia illum intruſerat.

## §. VII.

Ardua magis quæſtio videtur de *Faminis*, annon hæc Clinice ſint dicenda? Quam maxime enim illis favet Juſtitia Antiquitatum quorundam Patrocinium, quos inter ſufficiat citare TERRAQVELLUM de *Nobilitate Cap. 81. N. 321.* ceu qui ad leges ipſas provocat, quibus non interdictum ſit mulieribus medicinam facere, & allegaſſe GOTOFRED: in *not. ad l. 9. ff. 1. Aquil.* in qua dum *famina Medici* dicuntur eodem precio vult æſtimandas eſſe, quo Medicum. Accedit Authoritas Romanorum, qui nec in inſcriptionibus à titulis iſtis abſtinuere: tales ſunt.

JULIÆ QVINTIANÆ

JUL. Q. L. SABINÆ

CLINICE FIL. KARISSIM. item

MEDICÆ

MATER.

QV. JULIUS ATIMETUS  
CONJUGI

BENE MERENTI.

Præterea apud *Arbenienſes* Matronarum haud paucas nomen ſuum illuſtre illuſtrius ab arte reddidiſſe, quod leges illas eo adduxerint, Hiſtorici paſſim referunt, quos in compendio legere eſt apud ZACUTUM LUSITAN: in *Hiſt. Med. Princ. Lib. I. Hiſt. 7.* Quod magis in *Dania* adeo olim praxin muliebrem flouriſſe refert SAXO Lib. III. ut Medicus *Orbinus* habitu muliebri artem ſit profeſſus. Ne vero, ſi quid landis ſubſit hanc *germania ſæc. minie* detrahamus, Scriptor de moribus Germanorum refert, *famina*

feminas ab HERMIONE, Germanorum qui Rex fuit, fuisse iussas, ut militiam sequerentur. Nec tamen his omnibus moveor, ut feminas Clinicis annumeraverim. Nolo cum SATLERO in *Disput. de Jure & Privileg. Medicor.* Illas ablegare ex Judiciū infirmitate ad colum & lanam, ac si hæc magis congruant; nec allegabo pudorem sexus, ex quo plus illas ab omnibus civilibus vel publicis officiis remove videtur; Sed dixerim eadum *Præcos*, cui ferendo impares sint; & de quo in *Præfat. quædam* retuli, illas esse ab officio medici dispensandas. Lubens largior titulum vel Medicarum vel Clinicarum illis fuisse antiquitus datum, sed præter quod hic respexerit *Obstetricum Munus*, quod olim & hodie recte illis committitur, Medicinam, quam exercuerunt, exercuerunt vulnera sugendo & sanando, de quo illustre Monumentum Londini ad Equile Regis suspensum testatur, quod refert ELEANORAM ex *Eduardi primi conjugis* vulnere venenum suctione prolicientem. Neque tamen adeo a Medicina relegatas illas velim, quin sive amicitia sive necessitudine ductæ, sive pretio conductæ, lectulis ægrotantium assistant, morbi tadium, nisi sint invisæ, præsentia sua pellant; Symptomatum characteres & mutationes aut notificent Medico, aut notent, ordinatam victus rationem adornent, corpori languenti sublevando, fricando, ungerendo manum adjutricem commodent. Ex his rationibus illarum quoque Patrocinium in se suscepit Poliater quondam hujus Civitatis & Prof. hujus *Almae Johanne Jacob. Döbelius in program. præmiss. Disputat. de Catarrho Anno 1678. hic habit.* non minus Illis accedit PARENS DN. PRÆSIDIS in tract. *der Unterwiesenen Kranken Wärter / Kiloni A. 1679. impresso & sub his conditionibus illas commendat: Die Frauen sollen folgender Beschaffenheit seyn (1) nicht zu jung / sondern über 40. Jahren / weil diejenigen mehr als die Jüngere bey den Kranken umbgegangen / und wissen was weiß und schwarz ist / auch zu dem auch besser wachen können / als die so jüngere sind. Doch ist auch dahin zu sehen / daß sie nicht zu alt seyn / und dem Kranken durch verdriesslich Wurren / welches der Alten Weise ist / verdriesslich fallen; auch von denen Kräff-*

ten seyn mögen / daß sie den Krancken auffhelffen / ihm das Bette zurechte legen / und wenn ers begehret / die Hand bieten könne. (2) Daß sie bequehm sey dem Krancken / was er begehret / zu rechte zu machen / und ihm selbiges rein und nicht unsauber darreiche / auch das Zimmer und was in demselben enthalten / ordentlich und auffgeputzet / so viel als es geschehen mag / halten. (3) Daß sie dem Krancken angenehm seyn / und demselben gute bescheidliche Worte geben / damit nicht im wiedrigen Fall / er ein böses Vertrauen zu ihnen setze / oder so etwas von ihnen versehen würde / dadurch dem Patienten ein Eyffer erwecket werde / und daraus die Krankheit einen grossen Wachsthum nehmen möge. (4) Daß sie nicht gerne plauderen ; denn sie dadurch den Krancken nicht allein aus der Ruhe halten / sondern auch leicht etwas reden können / daraus der Patient einen Argwohn fasset / und ein Nachdenckung der geredeten Worte entweder seinen Kopf irre machet / oder auch die Hoffnung zu seiner Genesung fallen läffet / welches dann umb ein grosses die Schwachheit des krankten Menschen vermehren kann. Darumb gut ist / daß sie (5) beherzt seyn möge / die dem Krancken einen Muth einsprechen können / auch wenn ihm Ohnmacht oder ein ander Zufall betrifft / nicht anfangs zu schreyen / und sonst nur stehe und sehe zu / sondern getrost den Patienten durch zureden ermuntere / und was im solchen Fall dienlich seyn wird / darreiche. So wird auch (6) nöthig seyn daß sie viel bey Krancken umgegangen / auff daß sie wisse / was in solcher Eil zu thun / und da es ihr zu schwer daucht / lieber nach dem Medico , wo sie ihn zur Hand hat / sende / damit durch Berabstummung der Krancke nicht seinen Geist aufgeben möge.

## §. VIII.

§. 8. Sed quid de CHIRURGIS erit statuendum, annon his Clinici erit concedendus titulus? Qvod si ad praxin hodiernam attenderimus, ne quidem quæstione opus erit, adeo undiqve Chirurgorum clinicorum sunt plena omnia: imo si penes hos staret, Medicis disputarent hunc titulum, præsertim qui ex illis castra sequuntur, Geldscherer / dicti. Non ita pridem obligit Dno. Præsidi, ut consilium daret Viro ex diata vinosâ Jschiadico cum

cum suppressione urinæ, prognosi adjecta, nisi diætam mutaret cum vita laboriosa, tandem si non hamorrhoides, nephritidem tamen calculosam illum vexaturum fore. Ad hæc æger in litteris responsorius: Inzwischen muß **Er. HochEdl.** berichten/ daß althie ein wohlverfabener Chirurgus wohnet/ welcher mein guter Freund/ und viele Jahre Regiments- Feldscherer gewesen ist. **Selbiger** hat meinen Urin; Morgen nach einander gesehen/ und daraus judiciret/ daß noch kein Stein/ noch keine Gicht/ noch weniger ein Anstoß von der goldenen Ader zu besorgen/ sondern der **Sich**/ welchen ich im Rücken bekommen/ sey entstanden von einem verschleimten Geblühte/ so sich ganz dicker bey mir finde/ woraus jedoch der Stein und übrige Krankheiten erwachsen könnten. Er vermeinet aber/ wann nach vollbrachten Schmerzen ein **Umsitzen** Bad gebrauchet/ und dadurch das Geblühte dünne gemacht würde/ so wolte Er mir nechst den auff dem schwachen Fuß die Ader öffnen/ womit Er vermeinet die Sache gut zu machen. En mucosum hujus Uromantæ judicium! verschleimigten Bestand citius ipsi urinæ talis, quam schleimigtes Geblüht/ indicasset, si calluisset pathologiam veram. Sed missis his ad polypragmasyen Chirurgicam spectantibus, non me fugit, quam *Juris-consulti* Chirurgo appellent Medicos, quam **HIPPOCRATES** Chirurum per excellentiam compellavit Medicum, libro *πρωτῆς*, quo de Chirurgi institutione agit; quam in pretio illa Ars olim fuerit habita; imo doleo fatalem hujus artis periodum, qua prisca Chirurgiæ conditio à primavâ sua autoritate defecit, & Schismate à Medicina factò, res eo pervenit, ut si Chirurgiam ad Medicum pertinere hodie dicas, rem plerisque incontinentiam narres; nec tamen his obstantibus inter Clinicos numeraverim Chirurgo. Non ob hanc rationem, quod in nostris præsertim oris ad Tonsores, Balneatores; imo parum abest, quin ad carnifices, pessimo exemplo sit relegata: Sed quia Clinicus internos morbos sibi sumit curandos, quando Chirurgiæ hæmiphærium non nisi vitia externa corpori obtingentia, imprimis vulnera, ulcera &c. includit & completitur. Est hæc ratio, quod *Tenor Edicti Medicinalis Regii Borussici*

Brandenburgici, his verbis illos arceat: *Ab omni cura interna, quæ operationes illorum non concernit, sub gravi animadversione omnimode abstineant; item quare Senatus Populusque Lubecensis* itidem a Clinicorum numero illos excludat quando in der Revidirten Medicinal Ordnung de Anno 1714, cap. II. §. 3. hæc verba exant: *weilen Sie Chirurgi und Bader mit ihrem Ampte weiches Sie gelernt / und dazu beruffen sind / genug zu schaffen haben und sich dabon ernehren können: Als müssen sie sich außserhalb desselben mit keinen fremden Sachen / und insonderheit innerlichen Curen abgeben / daran Sie sich möchten vergreifen und sträfflich befunden werden. Ratio hujus legis statim subnectitur in §. 6. & 7. Sie sollen sich auch nicht unterstehen einige innerliche Medicamenta denen Patienten zu verordnen / sondern nur bloß und allein / was zu ihrer Profession und eusserlichen Schaden erfordert wird / als Pflaster / Oehl / Salben / Wund Balsam / Gurgel Wasser / Brand und Blut Stillungen &c. stets bey der Hand haben. Auch müssen sie keine Scorbutische und Giedern Krankheiten / vielweniger Frangosen Curen ohne Zuziehung eines Medici nach des Patienten Belieben vor ihren eigenen Kopff alleine über sich nehmen / weilen sie weder derer innerlichen Krankheiten Eigenschaft Pathologicè judiciren können / noch ex Materia Medica einen Selectum anzustellen wissen / oder derer innerlichen Medicamenten Art / Tugend und Krafft zuweilen judiciren können / vielweniger nach Kunst selbige zu verschreiben / und nach des Patienten Zustand zu appliciren gelernt haben. Quid vero in casu necessitatis, da man keinen Doctor haben kan / an non Clinicos agere poterunt? Qvod Medici ajunt, præstare in casu difficili anceps remedium quam nullum, hoc judicarem & hic svadendum esse, illorumque Empiriam non penitus spernendam; sed ad Clinicum, quod plura requirantur, jam in præcedentibus evictum est.*

## §. IX.

*Abstineo a longiori examine rationum quæis Clerici, Pharmacopai, Milites & qui non alii se in Clinicos formant aut formare contendunt. Non omnes enim qui Circha-*



Citharam habent sunt citharædi. *Schward Feger* sub *Sei-  
ne Fichtmeister*. Multo minus examinabo auctoritatem il-  
lorum Jurisconsultorum, qui, ut *Spurium* a Dignitate Do-  
ctorali propter infamiam repellere volunt, ac si non ma-  
gis Doctor fieri possit, quam affinis ut sit Homo, ma-  
gis e numero Clinicorum relegabunt. Roborare equidem il-  
lorum sententiam videntur statuta, in aliis passim Academiis,  
praesertim in Alma Viadrina, quod *nemo ad dignitatem Doctoris*  
*vel Licentiati debeat admitti, nisi qui legitimitatem natalium suo-  
rum exacte docuerit*. Nam si *BARTOLUM* Juris-Consultorum  
Coryphæum, qui vulgo *Lucerna Juris, Fons veritatis & Saccus Le-  
gam* audit, ex matre sua utcumque genitum *CAROL. IV.* non  
tantum restituit, sed & insuper nobilitate decoravit, quidni ri-  
gorem illum in *Spurio* emollire Princeps posset, quandoquidem  
aliquando Principum gratia singularis tales aliquando sibi Cli-  
nicos eligit, quos illo caractere *Spurio* longe inferiores omnes  
praedicarent? nec semper ex amore literarum, quod in *spurio*  
valere posset, talis electio obtineat.

## §. X.

CLINICUM ergo, de quo mihi jam sermo, concludo  
*Virum esse, qui debita notitia Medicinae, & quoad Theo-  
riam & quoad Praxin sit instructus, Gradu Doctoris vel*  
*Licentiati in Academiis publice ornatus, egros, qui sua cu-  
ra & fidei se committunt, pro morborum indole nunc ra-  
rius nunc frequentius invisens, remedia sanitatem respi-  
cientia aut praescribit aut distribuit, & de omnibus his a-  
egrum aeque ac adstantes monet, quæ ratione suæ aegritudi-  
nis prodesse aut nocere noverit.*

## SECTIO II.

*Exponit Specialiora*

ad

### Differentiam Judicii & Ingenii

in Clinico spectantia.

#### CAP. I.

DELINEAT

CHARACTEREM CLINICI INGENIOSI.



§. I.

Qvin jam adeo difficile fit intelligere, quæ speciatim Differentia sit *Ingenium* inter & *Judicium* in *Clinico*, faciunt ea, quæ in Sectione præcedenti sunt præmissa. Quodsi adhuc difficultas quædam remanserit, illa omnis evanescet, si quis mecum ad *notas characteristicas* attenderit, quas in hoc, qui *Ingenio* valet, & in hoc, qui *Judicio* excellit, citra quod res fit multæ deliberationis, quotidie observare est. Quas dum trado, palam testor, me conatibus his meis nemini velle esse injurium, minus omnium vel ordinem medicorum vel hos qui huic merito sunt annumerandi, contemptui vel opprobrio expositurum fore. Ceu iterum veniam impetravero, si quando in enumerandis istis notis ordinem nullum observavero.

§. II.

*Ingenio indulgens Clinicus est habitus corporis speciosi, facie aut formosa, aut certe non deformi, membris ad agilitatem compositis & corpore alacri.* Fundamentum hujus Notæ in præcedentibus fuit allatum, quando probavi *Sanguineos* & qui de hoc temperamento participant, an *ingenio* valere

lere vid. *Señ. II. Cap. 2. §. 3.* Sangvineorum autem habitus corporis est plenior, colorator, hinc speciosus; itidem illi formæ sunt laudabilis, vultu ad gratiam composito. Æque dum pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine; membris adest vigor & quia sensus motusque animi admodum vigent, est quædam corpori innata alacritas. Remittit, fateor, speciosa illa forma pro gradu temperiei quem miscela aliorum temperamentorum affert: ita ut *candidior* si de Phlegmatico accesserit; *rosus*, si de Cholericis; de *nigredine* vero participet, si quando de Melancholico fuerit immixtum. Nec tamen adeo remittit, quin sub variantibus his faciei coloribus, pulchritudinem quandam & speciosum habitum in Clinico & hi observare possent, qui non æque formarum spectatores.

## §. III.

*Ingenio indulgens Clinicus in omni sermone affabilis omnibus, comis, jucundus, commodus, vultu in omnes placato, qui jocos sale conditos insinuare novit.* Confectaria hæc iterum sunt Temperamenti sangvinei & horum qui ad sangvineum accedunt, in quibus *ingenium* præcellere *Señ. I. Cap. 2. §. 3.* allatum est. Sangvinei vero ex rationibus ibidem deductis sunt faciles, tractabiles, benevoli, quævis, qui vult, uti poterit benignis & lepidis. Siquidem vero ægotantium depressus animus desiderat leniri, einem Kranken soll man billig gute Worte geben / da er doch Plage genug hat / & ut pavor ossa relinquat, in præcordia vero virtus redeat, blandis verbis opus est, eo citius Clinicus *ingenio* valens, obsequentem naturam sequitur, & Genio indulget, ceu Dictatori, cui parendum sit. Quod si & hic vel phlegma vel cholera sese immiscuerint illud ex contionibus neque lepore, neque festivitate conditis, hoc ex facietis asperis colligere est.

## §. IV.

*Ingenio indulgens Clinicus lubentius agros invisit morbo non tam gravi detentos, ac hos qui morbo periculi pleno decumbunt.* Ceu ingenium in suis negotiis magis deamat expeditu facilia & minus operosa Confer. *Señ. I. Cap. I.*

CAP. I. §. 9. est quoque quod ingeniosus morbos curatu faciliores aut Symptomatibus arduis minus stipatos sibi velit & in his consulat, ac in quibus remedia multo sudore sint quarenda & commendanda. Accedit, quod penes ægros morbo non tam gravi detentos ingenio liceat sui magis juris esse, referre & portare aliquid novi, argutos jocos fingere, medicamentorum olim præscriptorum ulteriori efficaciz tradere ægrum; e contrario ager agoni proximus vult cessent sales mixti, adstantes fida firmissima salutem figunt in remedio a Clinico præscribendo, hinc eundem dictis, vocibus, hortatibus instigant, ut qui noverit herbarum potestates & usum medendi, occurrat morbo, det ad morbum medicamina valida, admoveat opem, möge seinen besten Fleiß anwenden / möge verordnen / darauff man sich verlassen könne / quæ sollicitudines non possunt non esse huic rædio ut ad declinandum illud, quam per conscientiam licet, paucies ægros hos adeat.

## §. V.

*Ingenio indulgens Clinicus, paucis quæstionibus præmissis, statim novit de morbo etiam difficili cognitu differere, qualis sit & qualis futurus sit?* Non parum subsidii ad morborum diagnosin in quæstionibus formandis repositum esse omnes Medici consentunt; imo ut etiam in hoc momento nihil deficiat Clinico, jam Hippocrates Pentalogum tradidit, quo Medicus instructus sit, quando ægros inviset: imo post hunc alii non parum seduli fuerunt in auxiliis his suppeditandis, quos inter meretur laudari diligentia CLAUDINI in libro de *Ingressu Med. ad infirmos*. Sed Clinicus ingenio instructus, arduam hanc de singulis rebus interrogandis partem declinat, mag über so viel Fragens nicht seyn. Hinc ex responsionibus ad quæstiones aliquot formatas datis morbum hunc concludit, cui illæ videntur esse proximæ & de morbo hoc semel præsumpto, cum decursum noverit ex præceptis quæ sibi sub informatione olim sunt data, hunc ad seriem hanc enarrat & minutatim profert, quæ metuenda, quæque speranda sint. Non ausim asserere vel pentalogum memoratum HIPPOCRATIS,

TIS, vel tot quæstiones ad quemvis morbum dignoscendum desiderari, dantur enim inter ægritudines, quæ solo aspectu se produunt, & in sensus incurrunt, ut abhinc male inter criteria ingeniosi hoc a me reponi aliquis regeret; sed de his morbis statim parentibus sermo mihi jam non est; Indistinctim quando clinicus abhorret onus illud per quæstiones indagandi affectum, cum æque connati ac impliciti dentur morbi, radices quarum admodum sunt profunda, non detrecto affirmare, esse & hoc indicio, Clinicum multum dare *Ingenio*.

## §. VI.

*Ingenio vacans Clinicus admodum facilis in observationibus conscribendis.* Quia talem Clinicum destituit seriatim illa & non absque tædio quodam continuanda attentio omnium phenomenorum ad morbum pertinentium & scrupulosa penetratio omnium circumstantiarum, quas ætas, temperamentum, hæreditaria dispositio &c. in morbis afferunt: multo minus talis in remedium notitiam profunde se immergit, est, quod si vel aliquid singularis ipsi in praxi sua obvenerit, hoc ipsi videatur tanti esse momenti, ut de illo alios etiam informet, non citra tacitum animæ gaudium, quod inde laudis vel gloriæ fructus sit decerpturus.

## §. VII.

*Ingenio vacans Clinicus perquam facile mutat methodum medendi semel ceptam & ad aliam provolat.* Ceu non aliter fieri ex natura ingenii potest, ac si quando res cum tædio est expediunda, ut hoc derelinquat talem (placere enim intellectui omnia debent, in quibus ingenium se exercet) neque circa methodum medendi ceptam aliter obtinere potest, ac, si quando hæc fuerit electa, nec ad nutum cedit, ut valetudo inde tam prompte obtineat, ut intellectui ingenium, memoria obstericante, aliam methodum offerat, & hanc velit experiundam vel tentandam esse; inde hæc ingeniosorum formula: *Wir wollen es auff eine andere Artz versuchen / vielleicht daß es besser gelingt.* Non me latet, quam & Judicio fulgidi Clinici habeant aliquando ut viam medendi semel ceptam deserant,

E

&amp; at-

& attendant ad regulam de Juvantibus & Nocentibus: nec me fugit, quam & ingenio vacantes Clinici, si Cholericz magis fuerint indolis, non æque volaticum illum ab una methodo in aliam desultandi morem deament, quin, quam ceperunt viam strenui prosequantur, es muß herdurch/ zum Leben oder zum Tode / zu einem Ende muß es hinaus. Nec tamen possum quin nota illa characteristica Ingeniosos Practicos distingvam ab iudicio valentibus, quandoquidem hi, si quando immutare methodum iubentur hoc non faciunt subsultim, nec in horas mutabiles, sed probe omnibus circumstantiis ratione morbi indolis, hujus occurfus, idiosyncrasia ægrotantium, constitutionis aeris, novorum symptomatum obvenientium, &c. penallatis vel adducendis distingvi possunt.

## S. VIII.

*Ingenio indulgens Clinicus morbo cuius in momento remedium novit & in formula hoc prescribere promptus est.* Quia ingenio vi illorum, quæ in antecedentibus memorata sunt, externæ circumstantiæ sufficiunt, & vero nullus morbus, quam etiam abstrusus sit, qui non quoad externas quasdam circumstantias morbo alio videatur accedere, qui Clinico sit cognitus, est quod hic illius medelam huic applicet morbo de quo jam consultitur, & sibi ad illum nota remedia in formulam redigat. Quo circa animus in ingenioso liberior subnectere solet has loquendi formulas: Der Krankheit steht bald zu Helffen / die maladie ist mir bekandt; da weiß ich ein gut Mittel vor; darvor will ich bald was verordnen &c. Non ego novi promptiorem talem Clinicum ac NICOLAUM GRIMBERGIUM Suecum, qui in *Observationibus Medicis Amstelodami Anno 1689.* editis morbos gravissimos: Scorbutum, Affectiõnem hypochondriacam, Memoriae lesiones, Epilepsiam, Apoplexiam, Podagram, Cancrum, Phebisin, Lienteriam, Iliacam passionem Scirrhum lienis, Hepatis, Picam, Fluorem album, Catarrhum suffocativum, Ozoenam, Luem gallicam, Paralyin, Leporam, Tympanitidem, Melancholiam, &c. una vel altera formula subnexa vel

ut ipse in præfatione loquitur, parvis remediis se profligasse gloriatur: epiphonemate cuius observationi, ceu hedera, suspensio. Sic curavi; sic iuvavi; sic bene curavi; sic iterum sanavi.

## S. IX.

*Ingenio indulgens Clinicus facile admodum nova remedia deperit & his assentitur.* Quia Ingenium ex sua indole voluptati magis quam veritati studet, nec enim illa ut oblectet, ac hæc ut constet, tantis ambagibus est stipata, est, quod etiam ipsi in materia medica placeant nova inventa & hæc citra quod sibi otium sumat naturas & affectiones medicamentorum tadiose inquirere, & in praxi quid vires valeant quid ferrerecuscant, experiri; cum gaudio in usum trahat. Quod si quis de hac nota ingenii vellet dubitare hunc ablegarem ad laudes fati noti *Infulsi Thee*. Non allegabo Præconia CORNELII DE BONTEKOE, nec enim erit, qui hæc non dixerit nimia: sed quam non laudat illud Clariss. THEN RYNE *ad sanguinem purificandum*, ad horrenda insomnia pellenda, ad vapores malignos a cerebro arcendos, vertiginem, capitis dolorem mitigandum, ad hydropicos sublevandos, ad capitis rhevmata exsiccanda, ad humorum acrimoniam corrigendam, ad obstructiones viscerum tollendas, ad visum instaurandum? Quam non æstimat illud D. HENRICUS FRISE his verbis: *Nascitur in felici Chinensium solo pretiosus quidam frutex, THEE vocant indigena. Hæc planta est Phoebi primus amor, in hanc sparfit salubres succos Ambrosiæ. Decoctum ejus saccharo prius temperatum jejunos, a pastu etiam, sorbe, si non immortalitatis, saltem vite longioris pharmacum hausisti. Calefacit in primo gradu, siccatur ad principium secundi, nulli non parti consociata, ventriculum corroborat, appetitum promovet, coctionem iuvat, crapulam solvit, jecoris tonum servat, liecem defecat, renes detergit, cerebrum animat, somni vicem*

ges implet, totius corporis colluviem exhaurit, spirituum irradiationem accelerat, lassitudinem solvit, artus liberiores reddit, sicque omnem absolvit implebitque paginam hanc Medicina. Ichoris namque biliosi franges acrimoniam, precordiorum iram temperabis, squalentium viscerum tollit ingluviem acerrimam, salis reprimes aculeum, neque falles mox rediturum dolorem, sed tolles forsan penitus. Sic Natura prisca legi reddita mollem & jucundam vitam protelabit nullo dolore nec impediante nec impendente. Conf. ejus Diss. quod Thee Arthritidi conveniat Regi ma. An. 1684. habita. Non ego de his ut mentem fastius exponam, jam ad me pertinere censeo: Sed sufficiat ingenio valentibus & que ingeniosum judicem constituere, ita vero D. COHAUSEN in NEOTHEA pag. 3. Man hat denen Teutschen weiß machen wollen / daß nicht mehr das Heinder. mässige Podagra, der tyrannische Nierenstein / und andere in menschlichen Leibe wütende Gesehn adrederer Krankheiten hinführo in Europa keinen Platz haben würden / wie den auch wegen gebrauch des Thee von solchen Feinden China nichts wusse / dessen Inwohner zu hundert und mehr Jahren ihr Leben erstreckten. Ein grosses Hoffnung. volles Versprechen / durch welches wie nicht weniger durch die zimliche anreizende Gewohnheit des nicht unangenehmen Thee Getränke viele angelocket / ihrer einheimischen etwa nicht so köbliche Kräuter fast vergessend stets bey den Caffee und Thee Torff sitzen und die Gesundheit / vielmehr ihr Plaisir, darin suchen. Man kan nicht in Abrede seyn / es hat die ruhmräiche Feder solcher geehrten Schrifft. Stiller so viel bey der reudegierigen Welt ausgesaget im Schwange gehe / und zwar je länger je mehr nach ausländischer Mode. Daher man in Holland / auch hin und wieder in hiesig und benachbarten Orten bey hab. seelige und vornehmten Haus. Wirtthen so gute Anstalt und reichen Übersuß zu diesen Werke siehet / als ob ohne denselben der Thee ihre ordentl. che Wirkung nicht haben könnte. Es muß da gegenwärtig seyn als



lerley Indianischer Hauffgerath / Chinesische geschüberte laccirte  
 Taffeln / Chinesische zierhe Topffe / Schüßl / Köpchen und was der.  
 gleichen Zeugs mehr ist / ja es müssen auch mit allerhand aus  
 Indianischer Erde pouffirten Affen und monstrosen Figuren die  
 Tabetellen gezieret seyn. Wunder ist es daß die neubegierige  
 Teutschen nicht auch zuvor sich auff chinesische Kleiden und  
 Schuhen/ehre und bevor sie diesen Tranc trinden. Es möchte viel-  
 leicht in einen Iapanischn Nacht. Noct der Thee lieblicher schmecken/  
 und mehrere Kräfte von sich lassen. *Qui nondum de novatu-  
 riendi animo apud ingeniosos Clinicos foret convictus, huic  
 commendarem, ut attendat, quam gloriosum Radix hypoe-  
 cuanna titulum, infallibilis remedii nempe antidyfenterici, sta-  
 tim ab ortu suo acceperit; quantus honor fuerit Cortici, chine de  
 China exhibitus, ut ceu omnium februm intermittentium an-  
 tidotum, regiis etiam edictis, fuerit commendatum; quam pul-  
 vis ille levis candidus ex residuo Nitri lixivio paratus sub Ma-  
 gnesia alba nomine pro pharmaco purgante genuino, poly-  
 chresto, innoxio, tantopere desiderato, elective purgante fue-  
 rit ambabus acceptus, non obstant, quod dosis ejus ad molem  
 agris in assumendo valde molestam ascendat; & qui jam tro-  
 num gloria in pharmaciam occupat, quam Potus avenaceus, die  
 Haber Cur als eine Universal Medicine primum a Clinico D.  
 LOWERO commendatus, à D. FIDLERO in peculiari disserta-  
 tione cujus rubrum est: Cura avenacea, magis elatus fit & a  
 tot Clinicis, ceu potus excellentissimus, aliis pretiosis remedi-  
 is longe anteponeendus, jam affatim svadatur.*

S. X.

*In ingenio indulgens Clinicus symptomatum magis quam  
 morbi ipsius habet rationem, ut hunc funditus tollat. Dum  
 symptomata sunt molestia illa quæ in sensus incurunt & ab-  
 hinc a Clinico ingenioso citra quod sese demergere velit in ab-  
 strusam mali indolem; pro morbo habentur, quoque ipse æ-  
 grotus de his, ut tollantur, quam maxime sollicitus est, fit ut  
 ille etiam ad extirpanda symptomata sese prompte admodum  
 accingat, tollat dolores opiatibus, sistat fluxus adstringentibus,*

E 3

obli-

oblinaat caput dolens unguentis, &c. En Exemplum hujus regu-  
 laræ, quo nullum novi majus; FRANCISCUM DE LE BOI,  
 i. e. SYLVIVM, volo. Ingenium hujus viri omnes sciunt, qui  
 scripta ejus norunt, inprimis qui ad suam pathologiam febrium ex  
 miscela vitiosæ bilis & succi pancreatici formatam attenderit, il-  
 lud ignorare nequit: ut haud invita veritate SCHLEVOTIUS  
 de illo judicaverit, quod *Vir fuerit ob raram ingenii felicitatem  
 vere famosus.* Ast præter quod praxis ejus typis impressa in  
 omnibus paginis omnes informet, quam curaverit sympto-  
 mata, ipsius allegabo verba ex *Lib. I. Cap. 27. §. 73. Falluntur,*  
*inquit, & discipulis suis non minus, quam Agris injuriam insignem  
 faciunt Medici Doctores omnes, qui putant, docent saltem, curari pos-  
 se illos ex arte morbos, neglectis gravibus ideoque ingentibus ipso-  
 rum symptomatibus, quæ volunt omnia morbis primariis curatis spon-  
 te cessare: postquam magno mortalium damno observamus indies ob-  
 praesentiam horum Sciorum & Garrulorum Medicarum pertinaci-  
 am, negligentiamque a symptomatibus gravibus tollitam sepe pri-  
 us egros quam tollantur ab ipsorum Medicamentis morbi solum curati.*  
*Adde, quod Medicamenta symptomatibus quibusvis tollendis  
 minuendisve convenientia emendent, corrigantve simul vicia humo-  
 rum partiumque solidarum, a quibus pendent immediate ipsa sympto-  
 mata. Tolluntur ergo simul morbi, quando tolluntur symptomata.*  
 Qvis jam vellet mirari unde inter Sylvium & Opium tantus amor,  
 ut ille absque opio noluerit esse Medicus, ab aliis vero Doctor  
 opiatu dictus? Nam inter symptomata ægris molesta dolor  
 regnat, inter media vero compescentia opium.

## §. XI.

*Ingenio vacans Clinicus lubenter Theoriæ etiam non  
 satis firmate praxin suam superstruit.* Quia Theoria in for-  
 mando Clinico prima est, quæ hunc manu nec per salebras  
 ac quidem praxin ducit, & vero ingenium hic invenit, quod  
 oblectet, est quod idem illi facile advescat, adeo, ut dictatu-  
 ram ipsi conferat in rebus ad praxin facientibus, citra quod ve-  
 lit judicio permittere examen rigorosum de veritate Theoriæ  
 instituire; moveret enim quæ displicere possent. Ab hinc sunt  
 illi

illi dissensus inter Medicos, illæ lites, illæ immortales contro-  
 versæ; hic scaturigo Invidiæ, cujus sedem quidem apud litera-  
 tos, Palatium autem apud Medicos cernere est exstructum;  
 quod ingenia se ingeniis opponant. Quo quisque se hoc no-  
 vit magis instructum, eo audacius de palma acqvirenda certat  
 & aliquando nescio quousque, ambitionis stimulo citatus, specio-  
 sa veritatis forma occocatus prolabitur. Ne tamen sine exemplo  
 hanc notam characteristicam dimittam allegabo methodum me-  
 dendi a *Clariss. D. JOH. JACOB Scheuchzer* in Nostalgia vul-  
 go dem *Heimwehe* & quæ existat in *Beschreibung des Schweizer*  
*Landes* Num. 15. pag. 58. Nemo Authori huic ingenii magnitudi-  
 nem disputabit, quam tot scriptis Physicam & speciatim Hel-  
 vetiæ naturalem historiam exponentibus orbi erudito compro-  
 bavit & ut comprobaret nullis itineribus per devia & cryptas  
 pepercit. Idem ergo hic Author supponit ex Theoria physica  
*ærem ratione expansionis & condensationis prestare sanguini mo-  
 tum vitalem, hanc expansionem & condensationem habere sua sata a  
 circumfluo æthere & atmosphæra; hinc porro infert: Wie  
 Schweizer bewohnen den obersten Gipfel von Europa, nehmen  
 des wegen in uns eine reine / dünne / subtile Luft / welche wir  
 auch selbst in uns Essen und Trinken / durch unsere Land weis  
 und Getränke / welche eben denselben Luft enthalten / gewohnen  
 unsere Leiber also / sonderlich wenn wir bergichte hohe Orther in  
 haben / daß sie nicht stark gedrückt werden / und bey gleich star-  
 ker Gegenrückung der innern in unsern Ueberlein sich enthalten  
 den Luft / der Kreislauff des Gebühets / und Einfluß der Gei-  
 stern ohne hinderniß zu der Menschen Gesundheit ihren ordentl.  
 fortgang haben. Kommen wir in andere fremdde niedrige Län-  
 der / so steht ob uns eine höhere Luft / welche ihre schwere Truf-  
 Kraft auff unsere Leiber umb so viel leichter ausübet / weillen die  
 innere Luft / welche wir mit uns gebracht wegen ihrer grossen  
 Dünnung / nicht widerstehen kan. Hac philosophia fretus for-  
 mat methodum medendi morbo huic generalem. Es müssen  
 Argency verständige bedacht seyn auff alles das was da immer in  
 dem Ueberlein des Patienten stegende Luft kan stärken und die un-  
 gere*

stere aufstiegender schwächen: specialem mox subnectit: In  
 diesen Fuß will folgende wenige Mittel vorschlagen / und die  
 Officers und Feld Aerze ersuchen / derselbigen Würdungen an  
 ihren Patienten zu erfahren. Ist der Krancke an einen Ort / da  
 in der nahe ein hoher Berg oder Thurm sich befindet / so beliebet  
 man dorthin sein Quartier zu verändern / damit er in sich schluckend  
 könne eine leichter nicht so schwer auff ihn truckende Luft. Wenn  
 dieses nicht zulänglich / oder ins Werck zurichten unmöglich / so  
 bedencke man sich auff solche Arzeneien / welche eine zusammen  
 gepresste Luft in sich enthalten / unter solchen möchte wohl den  
 vornehmsten Rang haben der Salpeter und was aus ihn ge  
 macht wird; als da sind Nitrum fixum, Arcarum duplicatum,  
 Spiritus nitri ins Wasser gelegt / und darab oft getruncken / oder  
 in Mangel deren nehme man des Schieß oder Büchsen Pulver /  
 dessen verwunderliche Kraft / starke treibe Kraft die heutigen Na  
 tur lehrer mit besten gründen herleiten von einer zusammen ge  
 pressten / sich bey gegebenen anlaß stark aus dehndern Luft;  
 Nicht dem Nitro kan auch dienen der Most oder neue noch nicht  
 verjährte Bier / und aller neuer Wein eher / als der alte: über  
 dieß kan man die außre Gewalt der Luft schwächen durch Luft  
 haltung des Patienten in warmen gemächern wohl eingeheizten  
 Stuben / angezündete Feuer etc. Quodsi iudicium debuisset de  
 his statuere, monuisset de insufficientia demonstrationis elastici  
 ex virtutis atheræ in corpore vivo, de insufficientia inductio  
 nis a virtute nitri sibi relicti ad virtutem preparationum ex  
 Nitro, de insufficientia applicationis a virtute explosiva pulveris  
 pyrei ad rarefactionem sanguinis, si intus assumatur, & per con  
 sequens, ut dubitasset methodum quendam commendare, der  
 noch zuerfahren stünde / und auff so schwachen Füßen. Sed  
 abstineo ab his, ne videar odium *DNi Authoris* studio incurere  
 velle, qvem jandum adeo male habuit, quod *Dn. Praeses* in  
*Disputatione* de Salubritate aëris Rostochiensis memoratum mor  
 bum aëri crasso infra montium cacumina incluso tribuerit,  
 ut duriusculus tam in Historia Helvetiæ naturali, quam in Be  
 schreibung der Natur geschichten des Schweizer Landes de æti  
 olo.

ologia tali senserit, in quo tamen *Dn. Praefes* ingenio Authoris condonandum esse censet: quod insuper amor in Patriam iudicio hic limites fixerit.

## s. XII.

*Ingenio indulgens Clinicus suspicit admodum Arcana, Specifica &c. & pro horum laudibus multus est.* Quia remedium sub Arcanorum, Specificorum &c. nomine laudata hæc traditur esse efficacia, ut citra quod Clinicus debeat esse admodum sollicitus in morbis debellandis vel symptomatibus corrigendis, est quod ingenio non possint non esse talia valde grata, seu onere & tædio morbum ruminandi illud sublevent. Quam ergo non non avidi sunt, ut talia possideant, & quam non facile fidem addunt aliorum de suis arcanis præconiis! imo si quando fortuna remedium aliquod obtulerit, quod effectu se præ aliis remediis in hoc vel illo morbi genere distingvat, hoc admodum celare norunt, aut certe non nisi pretio vel precibus vendere, interim in encomiis talismodi propalandis luxuriosi & fatis liberales. Hæreo, annon KERGERUM Ingeniosus istis annumeraverim, quando *Lib. de Fermentat. Sect. 3. Cap. 3 de se* refert. Ego, inquit, ab Anno 1649. in hunc diem per integros 14. annos ultra mille febricitantes sine venesectione, sine purgatione, sine sudoriferis, sine diureticis, sine alterantibus, sine corroborantibus, sine topicis, & si quid præterea, unico fere medicamento curavi, non considerando, an Febris sit intermittens, an continua, an quotidiana, an tertiana, an quartana? nec expectata coctione, nec habito respectu sexus, ne puerperis quidem exceptis, ætatis, anni, temporis, vel aliarum circumstantiarum & quidem paucorum dierum spatio, sine recidiva aut alio aliquo notabili incommodo, nisi ubi æger ipse per incontinentiam de novo paroxysmos provocaverit. Quod si Catalogum talium contexere vellem, vereor, hunc me citius delassaturum fore, quam ut colophonem illi possem imponere. Quem laudes vel. PARACELSI vel HELMONTII de MYSTERIIS suis tædent, hic attendat ad Præconia *Panaceæ Anwaldine, Pillularum Wildegandensium, Pillularum sine quibus Panaceæ, solaris, Pillularum Francofurtensium*, de quibus illum infor-

informare poterit D. JACOB PANCRAT. BRUNO in *Differ-  
tat. de Myserio Medico vero, Aitor ff. anno 1691. habita. Qvod si quis  
nec quidem ad tempora jam præterita velit respicere, ponderet,  
qvæ GVID. FERDINAND. ARNOLD. In dem Bericht von  
dem neu erfundenen Astro solis und Junonischen Salz / de hoc  
ceu universali Medicina; qvæ D. ANDREAS CHRISTIANUS  
Diederich in Histor. Pestis von zweyen o: n kostbaren Me-  
dicinen zur wahren Præsertion und Curation der Pest; qvæ  
D. GOTTLIEB BUDÆUS von denen balsamischen Visceral  
Pissen und Visceral Salz in *Consil. Med.* von der Krampff. Sucht/  
ceu sîda & stufu experta referunt & palam consentitur sed mo-  
dum parandi silent, aut hunc verbis obscuris involvunt.*

## §. XIII.

*Ingenio indulgens Clinicus magis feritur in remedia  
pretiosa, quam vilia.* Quia ita cum animo ingeniosorum  
comparatum est, ut qvæ rara sint etiam cara, & non parum  
animum oblectent, etiam ingenium Clinici non abhorret pre-  
tiosa, ut præferat remediis undiqve præstantibus. Tadium  
circa quotidiana nimis facile hos corripit, quorum animus deli-  
cias qværit, quas non modo variationes, sed quoque qvæ nu-  
mero pauca sunt excitare potis sunt. Nunquam ævum magis  
fertile fuit in novis remediis ac his pretiosis suppeditandis, hinc  
ingeniosis Clinicis magis acceptum, ac quando *Chymia* cepit &  
Medicis deamari. Non modo enim tanta hujus Amoris vis  
fuit, ut nonnulli illam alteram Medicinæ constituendo Domi-  
nam, hætenus enim Galenica sola regnauerat, *utriusque Me-  
dicinæ Doctores* se compellaverint & ab aliis appellati sint gavisè;  
sed illa dotis loco attulit *Elixiria, Panaceas, Magisteria, Arcana,  
Mumias, Spiritus, Laudana, &c. Aurum*, quod in illos dies suffe-  
cerat pro splendore medicamenti conciliando, jam rogaba-  
batur imo cruciabatur, ut concederet *Oleum, Essentiam, Sul-  
phur, Mercurium*, ut diffueret in *aurum potabile*, ut *Diapho-  
vericum* esset, ut deponat amicitiam cum *Vitriolo*; non minus  
ab hoc tempore laudabantur ex *Argento Tinctura, Vitriolum, Sal,  
Oleum*, & qvæ non alia. *Cauteria*, qvæ ex salibus saponariis  
hæte-

hactenus erant parata, jam ex *crystallis*, *Luna* parabantur & sub titulo *Silber Corrosiv* judicabantur longe majoris efficaciar, ceu pretio longe illa superent. Sed cui volupe est de his pretiosis valde gratis se magis informare adeat ingenio fulgidum D. AGRICOLAM in *denen Zinmerstungen über die Chymische Urzneyen* JOHANNIS POPPIL.

## §. XIV.

*Ingenio indulgens Clinicus non adeo a remediis generosis abhorret, nec ab audacia tam alienus est.* Quia ingenium minus se demergit in abditas morborum causas, sed speciem, quam præ se ferunt, in Intellectus informationem arripit, est quod sibi persvadeat remediis violentioribus, hæc enim medicis generosa audiunt, ceu uno ictu & heroica fortitudine vitam ac sanitatem in libertatem vindicari posse, quæ ceteroquin foret longior & tædiofior. Est abhinc quod Vomitoria, Sudorifera, Salivatio, Purgationes drastica, venæ-sectiones repetitæ in praxi horumdem non æque exulent. An methodus medicorum in Galliis, quam haud satis ridere Comicus ille *Moliere*, huc spectet, illi videant. Præterea ceu undique ita obtinet, quo quisque rei alicujus minus gnarus eo promptius, eo majori ausu illud efficiendum in se recipit, eo securices illud aggreditur: est quoque quod in praxi ingeniosorum hoc fit non adeo infrequens, ut hæc ab audacia non semper abhorreat.

## §. XV.

*Ingenio indulgens Clinicus in prognosi formanda facilis est.* Prognosis seu prædictio eventus morborum, cum reposita sit in diagnosi sive fida notitia morborum, hæc iterum desideret intentos oculos corporis ac mentis, ne Clinicus quædam prætervideat, vel prætermittat, quæ ad sui de morbo informationem facere possint; at vero hæc attentio ab ingenio non est expectanda, cui sufficit videre quæ ante oculos sunt, est quod Clinicus in ingenio acquiescens, quasdam easve magis apparentes circumstantias habeat pro fundamento, quæ prognosin superstruat. Hæc, si salutem præ se ferant, prognosin



fin constituit salutarem; fin mala simulent, eam lethiferam statuit. Non vero hos Practicos volo, qui audent sanitatis & mortis certos praefigere terminos, nec hos asseverare tantum, sed & ipsum Deum invocare, & illorum certitudinem juramento confirmare: nec enim hos classi Clinicorum inferendos esse censeo, sed spectant ad Agyrtas, qui una veritate mille mendacia vendunt. Quin tales Vaticinationes fallere possint, imo quin fallatur, res est nulla probatione indigens; nec enim ex falsis praemissis vera sequitur conclusio.

s. XVI.

*Jugenio indulgens Clinicus agris facile gratificatur.*  
 Quia ingeniosus Clinicus delicias quaerit in rebus a se expediendis non a suo genio alienum est, concedere agrotis, quae his novit esse jucunda. Novit suavius alimentorum usu aequae animi refici ac corpus, viresque promptius redire a desideratis, quorum levis noxa, ac quando maxime salutaria invito animo obtruduntur. Haec quoque indulgentia se in Clinico tali exerit tam ratione frequentioris accessus, dass er die Patienten fleißiger und öftters besuchet / quam in mora circa illas: **Dass er länger bey ihnen bleibet.** Non minus in formulis concinnandis se accommodat lubrici decumbentium, horum electioni committendo, an velint pulveres, an vero pillulas, an apozemata? Quem saporem desiderent in Medicamento prescribendo? Ne dicam de sermonibus quos temperare novit ad aegri palatum & conditionem, cum Philosopho aliter ac cum Aulico confabulando, aliter compellendo puellas, virgines ac matronas graves, cum bibace loquendo de vino, de frigida & limpida aqua deliciis cum abstemio &c. **Er ist in allen Sätzen gerecht.**

CAP.



## CAP. II.

Sistit

## CHARACTEREM CLINICI JUDICIOSI.

§. I.



Xpositis in precedenti Capite notis characteristicis, quæ detegant *Clinicum ingenio indulentem*, ordo jam vult, ut *judicio excellentes Clinicos* sistam & horum speciem æque delineem; in quo dum ero occupatus, iterum iterumque cuius horum significatum volo (solent enim inter illos esse, qui vel *ambitioni* vel *suspicioni* multum dent) me citra omnem animum vel offendendi quendam vel insultandi alicui libera mente omnia proferre, quæ ad dignoscendos illos facere posse mihi pervasum habeo.

§. II.

*Judicio valens Clinicus habitus est strictioris; facie macilentia plus minus rubore vel pallore perfusa, aliquando etiam nigredine conspersa: corpore magis ad sedatum quam fluxum gressum disposito.* Connexionis hujus fundamentum repositum est in his, quæ *Señ. I. Cap. 2. §. 3.* allata sunt, & huc vergunt, quod *animus in Cholericis & Melancholicis ex difficultate transitus sanguinis, quam densitas fibrarum carnosarum infere, majori labore se applicet motibus vitalibus, & hæc cura se quæque extendat ad reliquos actus anime & pro uti in omnibus reliquis actibus moralibus, sic quoque in instruendo intellectu.* Est vero *Cholericorum & Melancholicorum habitus* occasione istius densitatis carniū strictior & magis compactus. Hæc insuper proximior carniū appositio in causa est, quare agilitas illa non in musculis ordinario tanta sit, quamvis robor sit majus; sed si ad *sanguineos* respexerimus agiles valde, lentor hic quidam obrepat. Hic ergo lentor gressum in illis magis facit compositum: modo quod hæc adhuc differentia intercedat

cedat, *Cholericos* gressu magis erecto, *Melancholicos* vero corpore leviter inflexo, incedere.

## §. III.

*Judicio indulgens Clinicus in sermone non adeo asperus est, quin aut breviter dicat; aut tumida oratione vel austero sermone aegrotis aequae ac adstantibus sit molestus.* Rationem hujus characteris non longepetendam esse quivis videt, qui attenderit ad ea, quae ratione temperamenti in antecedentibus sunt monita & ab hujus proprietatibus fluunt. Equidem non abnuo pariter hos Clinicos judiciosos nosse colloquia a secundo vel tertio accessu cessant, aut proliciuntur ab aegrotantis laudibus, quae illos maculat, vel donis, quae placare sedulus est. Nunquam tamen tantum est sermonis flumen, quin Prudentiores invitam Minervam in illis observare valeant. Nec ergo facile aegroto gratificari norunt, si quando in hunc vel illum cibum vel potum ferantur, si quando hanc vel illam formulam eligere velint, quin pro imperio aut sermone duro prohibeant & denegent. Omnium minime hos collocaveris inter Medicos, de quibus Chrysostom. Homil. 3. ad Pop. Antiquod admodum proni fuerint, ut amoris & affectus officis aegros demulcerent, & difficiles aegrotos deosculando, rogando, aliisque blanditiis ad Medicinæ prohibitionem alexerint.

## §. IV.

*Judicio indulgens Clinicus non in una vel altera quaestione acquiescit, si quando ad morbum paulo difficiliorum vocatus fuerit, sed querendo studet morbi indolem funditus nosse.* Possem et hanc sollicitudinem, quae in quarendo se offert, derivare a sollicita & constanti pressione, quam in istis Clinicis proportio solida & fluida inter sapius memorata desiderat; sed fluit illa quoque ex natura Judicii, quod in eo residet, ut index objectorum absconditæ innotescant. Conf. Sect. I. Cap. I. §. 9. Nec vero absconditi quidquam se magis offert, ac in morborum difficilium diagnosi obtinenda, quae tamen

men baseos loco methodo medendi est. Vera sane sunt, quæ  
 Cel. D. STHALIUS, *Clinicus præ multis judiciose distinguens*, in  
 præfat. *Disp. de Curat. morbor. e fundamento* monet: Si illius rei  
 nulla aut parva habeatur ratio, quæ proximum fomitem non solum,  
 sed ipsam usque quasi primam materiam morbo suppeditare potest, non  
 plus agit, morbum ipsum tanquam malum fructum hujusmodi; ma-  
 terie unice ac stricte respiciendo atque oppugnando, quam si quis  
 aquam e fonte profluentem extergere atque rescicare laboreet, statu-  
 rigine non obturata aut aliorum deducta. Nec ergo Clinicum  
 talem cadet quæstionum, ut citius cædeat, si non agrum, ad-  
 stantes tamen, denen Zeit und Weile lang wird / esse der Doctor  
 ausgefraget hat. Ponderabunt tamen hi quæ GALENIUS l. 3.  
*method. med. Cap. 7.* sub praxi attendenda non sine magno judi-  
 cio commendat. Consideranda tum ægri natura, tum cujusvis  
 hominis propria est Curatio, tum supra hæc illud tertium, quod cu-  
 jusvis nature proprietates ineffabilis sit, nec exactissima scientia con-  
 prehensibile. Siquidem curatur non homo communis & generalis,  
 sed nostrum quisque alius videlicet aliud temperamentum naturam-  
 que obrinens.

## §. V.

Judicio indulgens Clinicus etiam in morbis difficili-  
 oribus se solum invadendo præbet & adstat; si vero morbi  
 laud magni momenti, non æque tam sepe ægrum adit.  
 Constantia illa, quæ anima in Clinico talismodi sustinet &  
 vincit molestias & pericula in corpore ex transitu difficul-  
 tate imminencia, se quoque in praxi illius sinit; tum quo-  
 que judicium non æque remittit, si quando rem quandam  
 cognitu profundam sibi per omnia familiarem vult redde-  
 re, quin ab omni parte observet, quæ se magis informare  
 possint & notitiam parere. Laudem ergo meretur consilium  
 Medici ex judicio sincero dudum orbi medico acceptissimi, D.  
 BOHNI quod in *Tract. de Offic. Med. Cap. 4.* suggerit: Si gra-  
 vis affectus postulet, non quotidie tantum semel in morbis præsertim,  
 acuris, sed bis quoque imo frequentius invadendus æger, partim com-  
 modioris siccitationis, partim felicitioris medela gratia. Accedit  
 illis

illi visitationibus ceteroquin non adeo indulgens laudatus D. STAHLIUS in *Program. de visitat. agror* his verbis: *Medici, non otio & nugis sed arti, scientia & experientia innuciri & ad vera officia Charitatis proximo praestanda parati, scient, nemine etiam monente, quid sui sit officii. Morbos, eorumque indolem investigabunt, imo, non enim imperiti sunt, facile & solide prospicient. Non opus ipsis erit quotidianis concursationibus, non trepidabunt ad quoslibet, non magis corpore quam animo laborantis aegri, timores atque trepidationes; scient aegro praedicere, quid timere conveniat: Praescribent a quibus cavere sibi necesse sit, quod & ipse & adstantes observare debent. Successum morbi & Medicamentorum, bis, ter de die, ubi opus est, audire, & quid in eam rem consulto sit dispicere atque Medicamentis prospicere paratissimi imo solliciti erunt. Si res, imo si Patiens poscat, iterum iterumque illum visitare non detestabunt. Nec ergo non GALENO potuit laudi cedere, quod penes infirmos aliquando pernoctaverit; hic vero GALENUS teste SCHELHAMMERO Vir fuit, quo nemo minus Credulus, nemo falli minus idoneus, ergo inter Clinicos iudicio fulgidus collocandus.*

## §. VI.

*Judicio indulgens Clinicus se non semper sub primo accessu morbi faciem dignoscere posse lubens fatetur. Quia iudicii est, inquirere ideas oblatorum, quo bene intellectus de his informetur, sed haec informatio in morbis abstrusioribus vult observationem illius, plurium signorum concursum; morae, quam morbus ratione invasionis vel durationis trahit, indagacionem; morborum olim pepestorum & horum eventus & effectuum; ast vero cum multum temporis, laboris iudicii ad hoc ante requiratur, quam his omnibus Clinicus erudiri possit, nequit etiam hic primo statim ingressu discernere de morbo qualis sit vel qualis futurus? Accedit morbos aliquando sub larva incedere & Clinicos facile illudere, dum sub aliis atque insolitis, mirandis & novis insul-tibus accedunt, longe aliam aegritudinem insinuando, eamque gravissimam; nunc placidis & tranquillis paroxysmis decipiendo,*

do, cum sub herba angvis lateat. Lubentius ergo difficultatem diagnoseos istius morbi fatebitur pluribus accessibus enodandam & superandam, quam quod velit more Andabatarum clausis oculis in morbum pugnare, ut victoria, si qua daretur, rectius temeritati quam prudentiæ suæ sit tribuenda. Gaudet magis ἀπότυχῶς arte, quam ἀπότυχῶς fortuna ægritudines vincere. Qvis ergo vel modo laudatum BOHNIUM culpaverit, quando l. c. pag. 135. libere profiteretur: *Non raro affectum primarium & hujus causam adeo profunde latere, ut non semper mox primo, nec altero &c. accessu dignosci valeant?* Qvis SYDENHAMUM in numero clinicorum judicio præstantium baud ultimum, incusaverit, qui in Sect. 5. de Morb. acut. c. 6. de se ipso fatetur & hoc ipsum se non pudere addit, quod non semel in curandis morbis ubi, nondum constiterit quid sibi agendum esset, nihil profusus egerit. Ea sane est aliquando morborum abstrusa ratio ut subtilitatem sensus & intellectus multis parasangis superet, & nisi sagacissimus Clinicus ex ponderatione phaenomenorum externorum cum motibus naturæ internis penetrare noverit, ipse non plus noverit, quam æger ipse, in quo acquiescat.

## §. VII.

*Judicio indulgens Clinicus Morbi magis quam Symptomatum habet rationem.* Dum iste Clinicus medelam morborum e fundamento instituere sedulus est, quia sibi quoque otium permittit in morbi originem penetrare, radicem potius extirpare contendit, quam ut vel folia vel frondes modo decerpatur. Ita certe SENNERTUS *Instit. Med. Lib. 5. part. 2. Sect. 2. Cap. 8. Symptomata omnia æquidem, quatenus præter naturam sunt in genere sui ablationem indicant: verum indicatio plerumque inutilis est. Cum enim a morbis vel causis pendeant, iis ablatis & ipsa tollantur.* Quod si illo vetustiore Clinicum consulere cuipiam volupe est, adeat SANCTORIUM, in methodo vitant: errores Vener: Anno 1603 impress: pag. 5. Opponunt se æquidem illis Clinicis alii pariter judicio clari & hos inter BOHNIUS l. c. qui volunt symptomatis vehementioribus sine mora medendum esse & in hunc finem remedia appropriata seduli designaverunt. Sed quando attendantur, quæ STAHLIUS magno

judicio attulit, non omnes molestias in morbis, ceu fieri haec tenus siveit, esse pro Symptomatibus habendas, sed multas & plurimas pro mediis ad sanitatem facientibus hinc vi frequentiae admodum necessariis, imo pro digitis indicibus, qui distincte morbum Medico monstrant, quem respicere debet; facile quivis Clinicus judicio pollens videt, quod si subvenit morbo ad quem tollendum illa symptomata adsunt, haec quoque cessatura fore; e contra si se opposuerit his suis, ad minimum respectu intentionis salutaris, amicis & hos oppugnare, contenderit, quod non morbus sit cessaturus, sed longius permanens, & tandem aeger periturus. Quodsi vero symptomata medelam velint, haec fore hujus generis intelligentiam faciant, magis vero a morbo, aut ut clarius dicam, a laesionibus partium solidarum oriunda sint, hinc impedimento magis, quam auxilio; his ergo succurrendum esse, Clinicus iste tuto judicat. Nec tamen haec tam frequentia sunt, & vix nisi a causis & laesionibus externis oriunda.

## §. VIII.

*Judicio indulgens Clinicus in observationibus conscribendis admodum sollicitus est.* Observationes, fidem quando mereri debent, & ut aliis in praxi commodo sint, multum sudoris secum ferunt & applicationem mentis satis feriam. Non modo suo tempore HIPPOCRATES monuit: *Experientiam fallacem esse*, hinc ad illam requiri sedulitatem & applicationem satis feriam, sed Hippocratici judicii aemulus Medicus D. STAHLIUS in solide docta *Disp. de attentione Medico-Practica* *Thes. 5.* eandem vigilantiam his verbis commendat: *Circa constitutiones (morborum) attentum convenit animum gerere, ne fallant morbi, primo jam magis compositi, aut longius progressi & plures jam passus exsecuti; pro simplicibus, per se subsistentibus & cum nullo alio conspirantibus aut plane complicatis. Cui rei bene estimanda atque dijudicanda non sufficit simpliciter respicere ad quorumcunque conjunctorum symptomatum, sive praesentiam, sive peculiarem indolem. Quamlibet enim pro diversitate casuum etiam*

horum.

horum aliquid inveniatur; advertendus tamen etiam est animus, ad progressos subinde affectus, qui vel tale aliquid, quod nunc in sensus incurrit, post se reliquerunt, vel ipsi solum schema suum pristinum in novum hoc transformaverunt. Quo posteriore imprimis casu, alibi insolentia, alibi pertinacior, affectus talis genius, sinistra ab aliarum materialium causarum, sive diversitate, sive simplici novitate, accensetur. Nece est, ut hæc difficultas tantum premat iudicium, si quando se ad observandos morbos accingere studet, sed eadem non levis est in consignanda vera efficacia remediorum, ut non possim non subscribere FERNELIO, in cujus scriptis se peritiam Hippocratis reperire SCHRADERUS testatur, quando *Lib. 2. de abdit. rer. caus. Cap. 19.* Sub experiundo remedia monet, occasionem nullam esse præmittendam an illa fuerint data jejuno, cum vero pasto? an morbi initio, nec præpurgate corpore? an inclinante jam morbo, an in affectu simplici? an in composito? an in leviore & persacili, an in contumaci &c. Auget hanc difficultatem præterea aliorum censura, quibus observata talia suspecta fide non omnino libera sunt, adeo, ut non modo ANTONIUS MANGOTIUS Medicus Regis Galliarum in litteris ad Theophil. Bonet. Paris. 1675. datis & hujus Sepulchreto præfixis, Foresti, Sbenckii & Zacuti observationes editas, rejecerit ac si hi authores stupendis historiis admirabundos Lectores voluerint sibi cum gloria parare, sicque a veridicorum historicorum censu arcendos monuerit, sed & SCHELHAMMERUS in *notis ad Conring. Introduct. Cap. 5. §. 12.* habeat de historiis medicis quæ jure moneat. Est ergo quod iudicio valens clinicus sibi otium velit in observationibus medicis consignandis, quod omnium circumstantiarum & incidentium habeat rationem, quod in una observatione scribenda plus temporis consumat quam ingeniosus non impendit centum historiis conscribendis, modo, quod hoc differentia adhuc subsit, Cholericos vivacitate iudicii, qua pollent, antevertere in observando Melancholicos, quando hi sollicita omnium phænomenorum consignatione tarditatem calami pondere rerum anteriorandarum compensant.

## §. IX.

*Judicio indulgens Clinicus simplicia Medicamenta præferat compositis remediis.* Ex natura judicii hæc nota fluit. Quia ad *judicium* pertinet qualitates objectorum secundum ideas non apparentes sed veras & intimas nosse, & vero, quoad remedium efficaciam longe intimius & quoad circumstantias singulas longe curatius hanc determinare potest. Clinicus, si simplici modo fuerint adhibita, est quod *judicio* indulgens simplicia præferat compositis. Non parum præterea ad tale examen experimenta incitare possunt, quando Empiricus quidam vel Verula vel Medicafter alius simplici quodam Medicamento solamen in morbis aut auxilium affert, quod Medicus omni suo apparatu non præstare potuit. Haud quippe tali Clinico sufficit cum ingenioso vel experientiam illam spernere, vel aspicere per transfennam, aut omnino carpere vires talismodi simplicis, omnium minime has a magicis artibus derivare velle; sed ille judicii libra examinat omnia & improbo studio inquirat an fucus subsit, vel vitii suspitione omnia careant? Quod quo obtineat experientia experientiam addendo simplex illud porro in usum trahit, & citra mangonium propinat. Agnovere hæc jamdum Medici *judicio* & arate fenes, adeo, ut non modo CRATO, *scelus esse*, dixerit, uti *compositis cum simplicia satis adjumenti afferre possint*; STAHLIUS *simplicia Medicamenta inventionibus variis non nisi a sciolis macerari*, pronuntiaverit; sed & professione non adeo Medici, quo VERULAMIUS & BOYLE spectant, Medicis commendaverint magnum impendant curam, ut *simplicium vires in singulis morbis probe notent, ceu quibus præ compositis prærogativa non vana insit.* Nolo de his ulterius disserere, sed provoco ad modo memorati BOYLE doctissimam Paranesin, quæ adjecta est hujus Disserat: de *Specif. remea.* item ad MORHOFII *Polyhystor. Lib. 2. Cap. 13. pag. 157.* & BOHN, de *officio Medici p. m. 462.*

## §. X.

*Judicio indulgens Clinicus remediis novis non statim assurgit.* Hoc Criterium de novo fundatum est in Genio *judicii,*



Judicii, cujus est non specie falli vel authoritati dare, sed omnibus nervis ac viribus sic contendere, ut quid verba sint, quid vero vera, sufficienter content. Ratio hinc patet, quare SIMON PAULI se Tabaco, FRANCUS DE FRANKENAU Thee, MEDICI PARIENSES Antimonio, Medici Romani pulvere Cornachino sub poena damnationis ad triremes, Radici Ipecacuannæ WEDELIUS, Opio STAHLIUS, Cortici Chinæ de China HELWIGIUS se opposuerint? unde BARTHOLI-NUS inductus fuerit, ut *Medicinam Danorum domesticam* conscripserit? qui pro domesticis in genere pugnent contra exoticam, GVIL. GILBERTUS de Magnet. l. 3. c. 1. pag. 117. DORNEUS de *generatione Mineral.* cap. 14. pag. 633. SALAM. ALBERTI orat: de herbar cognit: LEONARD. Hierovantus Phys. l. 3. Cap. 39. ALBINUS in Disput. de Tabaco in præfat. JOA. THILE in præfam. Disput. de usu & abusu Theæ. Unius CRATONIS verba addere adhuc liceat: *Medici ordinis enim vere sapientes & summum decus sunt. Hic in Epistol. Medicin. Lib. 1. Epist. 7. narrat Empiricum quendam puero pulverem epilepticum ex cinabari nativæ confectum dedisse, & hoc illius audacia tribuit, adeo, ut asserat, se nolle hoc facere, si omnes homines sibi antihores essent, cum robusta etiam corpora vix illius usum ferant, & quam graviter ferant, se vidisse addat.*

## §. XI.

*Judicio indulgens Clinicus à methodo medendi non facile recedit.* Denuo hoc insinuat Judicii ratio, quandoquidem methodum medendi non præpostere formavit, sed diagnosi demum bene perspecta, indicantibus & contraindicantibus solide ponderatis, hinc si immutare illam debeat, graves, necesse est, sint causæ, quæ se commoveant, quas vero denuo ante examinat, quam illis subscripserit. Ad talem constantiam illum porro hortantur tam HIPPOCRATES *sect. 1. aphor. 52.* innuens, *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, suppetente quod ab initio probaveris;* quam qui ex illius verbis hanc regulam desumpsit AVICENNA *l. Ten. 4. Cave, ne a rectitudine*

*cedas, licet non appareat iuvamen.* Est ergo, quod Clinicus iste instar aquæ super lapidem durum sapius cadentis, excavantisque, via medendi semel coëpta continuat, ac morbi diurnitatem sua pertinacia tandem vincat. Quo in iterum hoc discrimen observare licet, quod si *Cholerice inæquis* talis fuerit, remedia aliquando mutet & variet, eundem tamen scopum respiciendo: sed *Melancholicæ complexionis* Clinicus vix ab uno medicamento ad aliud transeat.

## §. XII.

*Judicio indulgens Clinicus vix unquam audacem se fessit.* Sub audacia præmeditatio justa exulat, præcipitatio autem regnat, imo ad assertum SENIS NOSTRI l. deleg. num 3. audacia ignorantiam artis significat, hinc est quod iudicio pollens se admodum ab illa caveat, imprimis quia hujus est nil suscipere de quo non satis constet, quod si non proficit, tamen non noceat. Quod si tamen gravis morbus velit festinationem & remedia magnæ efficacix, si non intra mediocritatem consistere liceat, non æque ignorat morbis extremis esse extrema remedia optima. Ast multo celerius se ad hæc accingit Cholericus, quando Melancholia tinctus tutius propriæ exultimationi consulendum esse decernit, quam ægris cum famæ l. artis detrimento mederi; hinc adstantibus, si non ipsi ægro, consilia sua communicat, præfens periculum vitæ memorat & prognosi, de dubio eventu facta, se munit.

## CAP. III.

## ARGUMENTA INDICAT

## QVÆ PRO CLINICO INGENIOSO FACIUNT.

## §. I.

**O**Mnium primo quod *Ingeniosum Clinicum* commendat AFFABILITAS est, quæ ægrotis novit placere & horum molestias imo universum dolorem accessu humano & sermonibus blandissimis exhaurire. Non modo hoc in Medico desiderat HIPPOCRATES l. de Med. & l. de præ-

precept. & in illo sibi pollicetur **BASILIVS MAGNVS** *epistol. 87* scribens: *Omnibus vobis, qui artem Medicam spectatis, humanis a-*  
*ris est studium; sed humanitas & affabilitas hæcce titulum gra-*  
*tijs Medicis conciliavit, quando Archidamus apud Plutarchum in*  
*apophthegm. Lacon. gratiosos imo gratis delibutos: Theocritus ve-*  
*ro gratiarum spaveloquentium sacrum germen Medicos*  
 compellat. Hinc facies illa Angelica, quæ in Clinicis resplen-  
 det, aut certe in his desideratur. Quam vero austeritas iu-  
 diciosos Clinicos dedecet, quam nova hæc afflictio morbo-  
 jam afflictis! De his erunt intelligenda quæ ex Petro  
 Apon. de plerisque Medicis refert **TIRAQVELLVS**. in tract.  
 de Nobil. Cap. 31. N. 438. quod *malorum morum sine &*  
*hoc afris tribuendum esse iudicat, quoniam medicina scientia,*  
*presertim curativa, Scorpioni attribuitur & Marti, quorum*  
*proprietates in malum semper tendant.* Quam non **AUGU-**  
**STINVS** carpit **VINDICIANVM**, magni cateroquin  
 suo tempore medicum, quod consultus a quodam, cujus  
 dolori olim adhibere iusserat remedium, a quo sanitas  
 consecuta, sed quod idem post annos aliquot ex eadem causa  
 adhibuerat, successu plane contrario, responderit: *ideo male ac-*  
*ceptus es, quia ego non iussi.* **CALLIONOCTES HEROPHILEVS**, quam  
 etiã gloriã sibi medendo acquisiverit in hunc usque diem male  
 audit, ceu austerus imo rusticus, quod ægrotanti cuidam de-  
 sperabundo & subinde ingemiscenti se moriturum in os dixe-  
 rit: *male habes & morieris!* alteri vero itidem se moriturum di-  
 centi, respondit: *Et Patroclus obiit, qui te præstantior ipso.* Non  
 ab horum austeritate abludit responsio Medici de quo **DN.**  
**PRÆSES** mihi retulit, quod ad ægrotum vocatus pulsû explo-  
 rato, exclamaverit, *der Puls hat sein geben schon geben!* item ad  
 alium morbo chronico laborantem dixerit, *im halben Jahr*  
*seyd ihr caput.* Humanitas sane in Medico tanta apud **PLA-**  
**TONEM**, *rigorosum satis iudicem! & legum Conditorem,* fuit  
 considerationis, ut abhinc solis Medicis mendacium conceden-  
 dum esse edixerit, aliis vero minime. Medici quippe ut ægro-  
 tantium animos solentur, promittant sanitatem etiam in ipsa  
 mor-

mortis agone, ne animum despondeant. *Convenit*, ut HIPPOCRATIS verbis concludam *l. de dec. ornat. Medicum urbanitatem quandam sibi adjunctam habere, austeritas enim tum sanis tum aegris difficilem accessum præbet.* Clinicus ergo facundus in morbis pro solatio est.

## §. III.

Augēt prærogativas *Clinici ingeniosi*, quæ ex humanitate modo allegata fuit, INDULGENTIA. Confrictos satis ægros tenent morborum vincula, sive quod accessu gravi omnia membra corripiant sive, quod longo decursu vires exsolvant. Utrinque augetur animus decumbentium, sed si quid solatii noverit in re quadam, illud summis desideratis votis expetit, rogat, flagitat & si obtinuerit non parum inde consolatur. Nec vero Clinicus, qui Consilia rursus ægrotantium intimus est, quem amant, quem venerantur, quem admirantur, se magis gratum reddere poterit, ac si quando vel palato decumbentium aliquid concesserit vel frequenti visitatione, opertatione aliquali medicamentis ad colorem, odorem & saporem jucundis, ægro gratificet, tum imprimis consuetudini subscribat. Quod si casus se offerant, ubi indulgentiæ non æque locus, Clinicus ingeniosus, quæ pollet facundia, mollitiem languentium & horum desideria blandis verbis novit temperare, sicut es ihnen auff das glimpfflichste aus den Sinn zu reden / joco quodam intempestivam talem lubidinem elidere, macht eine Scherz daraus / aut sicubi morositatem ægri omnibus his blanditiis flectere nequeat nec deceptioni locus sit, sed existant juxta Senecam. *l. 4. de Benef. Medicorum Imperatores, aliquomodo connivet & damna inde metuenda regulis diæteticiis, si non pharmaco evitare allaborat, & ceu Artaushoc criterium voluit, virtutem ac excellentiam Medici ostendit.* Undique ergo se gratiosum & verbis & factu monstrat. Bleibet immer en humeur, und läßt ihm nichts verdriessen. Ast quam circa talia desiderata judicio indulgens Clinicus! Aut hic pro imperio statuit de consiliis suis semel datis, läßt ihm nicht einreden / aut morose desideria istiusmodi carpit & rejicit; der Patient müsse

missè sich nach seinen Doctor richten; Zucker wolle es nicht aus-  
 machen; wolten sie es nicht nach seiner Verordnung brauchen/  
 möchten sie crepiten, er könne ihnen so dann nicht helfen. Au-  
 theros tales descripsit BOTALLUS &c. item BOHNIVS l. c. ubi Bo-  
 talli verba non modo affert, sed ipse varia exempla severitatis istius  
 addit. De his ægrotis, Tyrannidi tali subjectis, vere quis diceret, quod  
 medice, dum vivere coguntur, pessime vivant, quando non audent  
 tantillum dulcis gustare, quod ventriculum inflet; quando acida om-  
 nino proscibuntur, quod pectori inimica; quando Vinum prohibe-  
 tur, quod petat Caput, quod calculo materiam præbeat; quando in-  
 sordes sudores & mille alia corporis & medicinarum spurcissima de-  
 trimenta immeris linteaminum mutatio tam rigorose denegatur &c.  
 O! torturam corporis & animi specioso medicina habitu indutam,  
 sub quo judiciofi Medici nihil non dissuadent, singula somni ac vigi-  
 liarum momenta dispensant, atque ipsas, quæ ingeruntur, buccellas ad  
 trutinam expendere non verentur. *Vivant ergo Medici ingenio dantes.*

S. IV.

Loquitur præterea pro ingenioso Clinico & huic palmam præ judi-  
 cioso dandam esse contendit PROMPTITUDO propinandi & offerendi  
*remedia modo fuerit vocatus.* Non enim, cum ALEXANDRO M. inter-  
 ruit hæc decumbentium vox: *Lenta remedia & segnes Medicos non expe-  
 runt tempora mea:* Sed vel quivis afflictorum quam citissime opem de-  
 siderat. Ex hac itidem mandatum *cummunis Medicorum Parentis,*  
*qui in Epistol. ad Crateram N. 27. ait, ab omni equidem arte aliena est*  
*res, dilatio; verum maxime a Medicina, in qua dilatio est anime, sive*  
*vite, periculum.* Imo, in proverbio triviali, quod Clinicis futuris,  
 si quando munere suo fideliter fungi & therapiam recte administrare  
 volunt, tam sancte inculcari solet, est, quod primum momentum obser-  
 vandum huc collimet, dum jubentur CITO curare. Quam non aqua  
 demersus vult ex his protrahi? quam non odit moras qui videt domum  
 suam flammis corripì, ut addantur aquæ & incendia ponantur? quam  
 non, si modo festuca carnes læserit, illam eruerè quivis confestim se-  
 dulus est? nec ergo non Clinicus opera charitatis perinde ac officii pro-  
 na voluntate observat & exercet, quando promptus in accedendo, in me-  
 dendo æque promptum se sinit & accedens saluti ægrotantium subvenire,  
 præ-

H

præ-

præscribendo salutaria accelerat. Nonne vero sauiore ipsi morbis dicendi sunt, & existunt iudicio ante omnia phœnomena exploraturi Clinici, quam ordinare sustineant! Fac morbi diagnosin nondum satis iudicio patere, cui methodum medendi intellectus superstruat, annon tamen aliquid in angustiis istis agendū, ne æger de salute sua mox desperet? monente illud pariter BOHNIO I. c. Ipsa remediorum præscriptio ad meliorem facere poterit informationem, quandoquidem & *tentatio*, ceu vocatur, *cura* non est in morbis cognitu difficilioribus rejicienda, sed inter signa a iuvantibus & nocentibus desumpta haud ultimum locum occupat, de quo Practici magni nominis consulantur. Est ergo *ingenioso Clinico* hoc gloriæ dandum, quod & arti & ægrorum confidentiæ sua promptitudine consulat, id quod de iudicioso dici vix poterit.

## S. V.

Nec potest non in *Clinico ingenioso* laudari, & abhinc iste pro Clinico iudicioso extolli, *Attentio* illius ad symptomata, quo hæc tollat. Morbum longe facilius sustinerent afflicti, nisi caterva symptomatum & animum & corpus, ad interuentionem usque, excruciant. Hæc sunt fœdula quæ ægroti lecto, ceu eculeo, impositi, distenduntur; hæc crucces dira, quæ graviter affligunt; hæc nervi, qui animæ viam præfocant, ut vix respirare liceat. An vero inter Clinicum & hostem magna differentia, si quando misericordia utrumque destituit, nec amor proximi, quæ licet, remedia suppeditet? Quis ergo non sibi eligeret Medicum, qui non verit, & velit dolores, etiam remissos, lenire, hæmorrhagiam statim sedare, æstum gravem resingvere, horrorem tremulum temperare, sitim magnam levare, ac qui ad hæc omnia sit ferreus & quo æger strenuitate illa antiqua animum sumat, verbis coloratis monet: *Der Patient müsse auch halten / müsse sich gedulden / es würde schon besser werden / von selbst sich legen.* Non jam hoc urgebo, quod non omnia symptomata a morbo, quod non semper cedant, cessante morbo; quod morbis aliquando sine contumaciore, quod primarii morbi medelam turbent, quod aliquando novos morbos faciant, nam de his omnibus *Cel. b. BOHNII* I. c. legi poterit, qui in hac messe vix spicilegia reliquit. Sed sint, quod concedo, symptomata memorata media, quæ sine finis i. e. sanitas obtineri nequeat, annon & circa hæc media habet Medicus ut corrigat, ut emendat,

det, ut in placidum morem illa redigat? Laus ergo ex sollicitudine  
hac manet Clinicos ingeniosos.

§. VI.

Nec dissimulandam censeo *Audaciam*, qua *ingeniosus Clinicus* su-  
perat *judiciosum*. Non de temeritate mihi sermo est; nam vitio hoc non  
adeo dixerim ingeniosum tentari, qui in casu difficiliore magis timide,  
quam tumide praxin instruit: sed minor pensitatio omnium circumstan-  
tiarum, quæ morbum fovent, & periculorum, quæ a medicatione sua fo-  
rent expectanda, eo aliquando ingeniosum Clinicum ire permittit, a  
quo judiciosus pedem retrahit, illi gloria, de auxilio allato residua. Te-  
stis sit ex candore & Doctrina, omnibus commendatissimus ROSINUS  
LENTILIUS, qui de se ipso fatetur, se, cum praxin vix auspicatus esset,  
Pascori cuidam in doloribus nephriticis summis tale quoddam Medica-  
mentum propinasse, quod in casu & subiecto familiam in praxi magis  
versatus non auderet offerre; summo tamen levamini illud fuisse. Idem  
refert, se alio tempore in doloribus post partum medicamen Matrona ex-  
hibuisse inconcinnum plane, sed à quo dolores è vestigio sublati, & hoc  
Epiphonemate observationem obsignat: Videant Medici prudentes, quid  
nonnunquam temeritas juvenilia audere audeat! vid. ejus *Miscell. Med.*  
*Pract. Libr. 1. pag. 7.* Non ita pridem Clinicus foeminam viginti qua-  
tuor annorum morbillis graviter decumbentem, & hinc ex terrore retro-  
cedentibus valdè delirantem, pedibus aquæ tepidæ immerfis felicissimè  
restituit; ut plura audaciæ exempla recensere superfedeam. Quid vero  
sub his momentis Clinicus judicio valens? Hic pro regula habet moni-  
tum GALENI quod existat in notis ad Hippoc. aphor. 1: Neque lateves,  
lutum, ligna, tegule & coria artis medicinalis sicuti aliarum materia-  
rum sunt, in quibus multis modis citra cuiusquam offensam licet, quid possit,  
experiri & circa eam materiam ad theorematum meditationem & con-  
firmationem versari, quod in lignis fabri lignarii faciunt, in coriis cori-  
arii. Ligna enim & corium si malè tractando labefactaverint, nullum  
indè inanimet periculum: in corpore autem humano ea tentare, quæ non  
sunt experientia comprobata, periculo non vacat, quum temerariæ expe-  
rientiæ finis sit totius animantis internecio: Hinc deliberando facit,  
ut perdatur occasio subveniendi; Ingeniosus vero aliqua indicatione per-  
motus

motus animosè medelam aggreditur, & ancipiti remedio non raro fau-  
cibus mortis agrum salvat, leget gute Proben ab.

§. VII.

Omitto, ne limites mihi præfixos transgrediar, plura argumenta  
recensere, quæ *ingeniosum Clinicum judicioso* præferendum esse persua-  
dere possent; qvalia forent, *Amor in remedia nova*, ceu ex quo in hunc  
usque diem Ars Medica fructus uberrimos capit: *Frequens agrorum vi-*  
*sitatio*, quæ confert & oblectat, *Præscriptio remediorum pretiosorum*,  
quæ animus ægotantium erigitur, wenn man kostbare Sachen/  
güldern Arzeneien verordnet: *Præconia vel specificorum, s. arcanorum*  
*notitia*, in quæ fiduciam ægotus ponit & animum sumit &c. Sunt in-  
super hæc aliave momenta quotidiana, quibus se Clinici *ingeniosi præ-*  
*judiciosis* distingvere, non tam callent, quam reapse distinguunt.

## CAP. IV.

Tradit

### ARGUMENTA PRO CLINICO JUDICIOSO.

§. I.

**M**ænet hoc laudis & prærogativæ Medico, judicio qui vacare  
solet, quod ad mentem & exemplum HIPPOCRAT.  
*libr. de decent. ornat.* SAPIENTIAM DEDUCAT  
AD MEDICINAM, ET MEDICINAM AD SAPIEN-  
TIAM i. e. accuratam & specialem individualis utriusque status in ho-  
mine, naturalis & præternaturalis diagnosin præmittat, & jungat dextre  
meditatæ & modificatæ medendi methodo. Collocavit in hac combi-  
natione formalem Medici rationem suo tam tempore, GALENUS,  
quando in *Definit. Med.* hunc *perfectum Medicum* vocat, imo *consum-*  
*matum*, qui in *Theoria* h. e. cognitione universalium Theorematum, &  
*Praxi* h. e. exercitatione particularium numeros omnes absolvit, inter-  
prete Medico sapiente JAC. PANCRAT. BRUNONE, in *Dissert. de*  
*Myster. Med.* Haud ergo sufficit, huic, de quo jam loquor, Clinico nos-  
se afflicti morbum, nosse in hac methodum medenti, nosse remedia adhi-  
benda, nosse modum hæc præscribendi, nosse regulas diæteticas in illo  
morbo, & ad hanc notitiam generalem morbos tractare, in quibus tamen  
Clini-



Clinicus ingeniosus acquiescit: sed ille specialissima omnia hæc confert cum afflicti hujus ætate, temperamento, vitæ genere, consuetudine, idiosyncrasia, prægressis ægritudinibus, reliqua corporis andole, regione aëris quam in habitat, diætâ, quam servare sœvit &c. nec ante de morbi cura certo quid statuit. Hæc specialis præceptorum ad singularia applicatio est *Judicium* illud *Practicum*, quod in Medico agente i. e. Clinico non modo desideratur, sed hujus ut fidus & sapiens Consiliarius est. Hoc exercitium Intellectus circa singula docet ea, quæ certis præceptis minime comprehendendi possunt, nec e libris addisci. Hæc illa *ἀρχαία* sive sollertia circa specialiora Arcanum & Mystrium universale Medici, quo se a Medicastris non modo distingvit, sed quo etiam triumphat præ Clinicis ingeniosis.

## §. II.

Fluit ex illa sollicitudine sed jure omni insuper in specie laudari meretur, quando Medicus Judiciosus *Morbum magis quam Symptomata respicit*. Quid juvat festucâ digito infixâ inflammationem & dolores externis vel internis tollere velle, quæ sponte pereunt, illa modo evulsa. Eadem medendi ratio a Clinicis Ingeniosis est expectanda, & quod obtineat toto die, non modo a Judiciosis Medicis observatur, sed perquam frequenter sub praxi illa in oculos cujusvis ægotantis & omnium adstantium incurreret, si quando cura morborum internorum æque pateret ac de Chirurgorum vitiosa medela constat. Qui exemplum desiderat legat Historiam de Adolescente dentescente a Medico pro catatrhoso habito & diversis methodis, non intermissis opiatâ, magis morbido facto, quam fuscæ recentet STAHLIUS in Propemptico Inaugur: qui bonus Theoreticus sit bonus Practicus &c. Valeant ergo verba pro judicioso Medico, quæ illustris quondam multorum Principum Archiater D. GEORG FRANCUS in *Dissert. de Medic. monstroso* attulit, quando Medicos symptomaticos vocat superficialios Medicos, qui in rei Essentiam penetrare vix sustineant. Quam verni iudicio indulgentes morbos quoad causas suas tollere allaborent, in antecedentibus relatum est, cum quibus couferatur STAHLI *Disputat. de Morborum Curat. e fundam.*

## §. III.

Hereo annon parilem prærogativam Clinici judiciosi præ ingeniosis obtineant ex CONSTANTIA sua, quando non

*tam facile a methodo medendi semel coepta recedant.* Ceu sapientia non est, dixisse non putaram, ita iudicium in Clinico prohibet ne ante decernat de modo rationis, quam antecedentia, & consequentia, indicantia, & prohibentia, probe fuerint trutina medica ponderata. Quo vero hæc inclinaverit, illi subscribit non modo, sed adhæret cum aliquantulum pertinacia, & viam hanc coeptam non tam facile deserit. Ex hac constantia est, si verum fateri velimus, quod veteres Medici (superabat vero tunc quidem numerum Clinicorum Ingeniosorum, Iudiciosus) in morbis diuturnis feliciter debellandis multo fuerint feliciores & longis suis Apozematibus & Decoctis morbos contumaces satis funditus sustulerint. Imo huic constantia in medendo acidulæ, thermæ, & hujus generis potus medicati diu continuati non parum debent quod adeo in morbis radicatis extollantur. Nec enim nunquam non manet verissimum quod suo tempore GALENUS observavit: *nihil est, quod sanitatem plus impedit, quam crebra remedium mutatio.*

## §. IV.

*Certat præterea pro Clinico Iudicioso, quod Ingenioso sit præferendus,* SELECTUS ET AMOR SIMPLICIUM REMEDIORUM. Imo ipsa remedium, in incomprehensibilem, sive mentem sive pharmacopolium spectes, molem accrescens farrago jubet, & urget Medicum, si iudicio valeat, ut ea eligat, quæ noverit sufficere pro scopo sibi præfixo obtinendo. In Exemplum sit studium D. VITI RIEDLINI, qui Medullæ Pharmacopœæ Augustanæ adjecit catalogum Medicamentorum simplicium ipsa sua experientia confirmatorum. Ceu ergo simplex cibus optimus, & Clinicus iudiciosus mensas haud dubias suis agrorum sruat.

## §. V.

Sed nolo diffusior esse in recensendis his prærogativis, præsertim eum in præcedentibus sub delineatione illius jam sint relata, quam creantur extolli in illo *indefessus perquirendi in omnia morbi phenomena ardor; imperterritus sub morbo gravi animus, dilatio iudicii de morbo nondum satis patente; sollicitudo in observationibus conscribendis; dissidentia in remedia nondum satis experta.*

CAPUT

## CAPUT V.

Decidit.

UTRUM INGENIOSUS JUDICIOSO CLINICO  
SIT PRÆFERENDUS?

S. I.

**P**onderatis jam omnibus argumentis, brevibus quibusdam Porismatibus mentem meam declarare poterō. Ne tamen ali quid remora sublit quoad verba germanica in rubro allata / *Berühmigtig oder Verständig* / Exemplo quodam omnia reddam plana. *Consultatur Clinicus ingenio indulgens à Viro 40. annorum inappetentia laborante. Hic prævia questione ex qua causa? & data responsione, esse ex repletionē nimia, brevi manu vomitorium præscribit parandum vel ex Tartaro emetico, vel Radice Hypecacaunnae, in justa ac consveta dosi; & regimen item addit sub ejus assumptione servandum, prognosi adjecta inappetentiam mox perituram fore. Consultatur itidem Clinicus Judiciosus in simili casu. Hic primo, quam quædam ordinet, inquit, quamdiu inappetentia illa laboraverit? an olim eundem morbum sit perpeffus? an Phthisi laboret? an Hernia sit in commodo? an narium hæmorrhagia facile tentetur? an olim vomuerit? quod si hoc? an facile vomat, vel laboriose? abhinc demum vel svaadet abstinentiam & solis regulis dieteticis subvenit; vel si has non sufficere intelligit, exhibet medicamenta ad contentorum vitiosorum in ventriculo majorem fluorem hinc citiorem exclusionem facientia, amara vel acida; aut si de vomitorio dando statuat, selectum inter vomitoria instituit, & talia eligit, quæ sub fluida magis formâ vires in ventriculo exferant, cura quod in reliquâ corpore noxæ abhinc sint expectanda e. g. quondam sale impregnatam, vitriolum album in aqua solutum, &c. dosi, pro ratione indolis ægotantis determinanda, cautelis subjectis, quas observare æger habeat. Nec vero in his subsistit, sed à Vomitu exantlato adhuc*

*huc commendat medicamenta, que ad torum ventriculi firmandi facere noverit, hac prognosi facta, nisi abstinentiã eger observaverit, morbum hunc futurum fore Chronicum. Uterque horum Clinicorum percepto morbo format methodum medendi affectui conformem, liberare nempe ventriculi cavum a vitiosis contentis: uterque media svadet huic intentiori conformia & adqvata uterque regimen subnectit necessarium: uterque ergo agit scite & docte: Ast ultimus, dum se amplius de omnibus circumstantiis spectatim informat & singulatim ponderat, quæ in hoc Agravato sint facienda vel omittenda sapienter & prudenter magis. Primum ergo ad differentiam hic necessariam, licebit appellare, den Vernünftigen / alterum den Verständigen Medicum. Sed ad porismata ipsa.*

*§. 2. Præferendus est Clinicus ingeniosus, si ad agrum respexeris; Judiciosus vero si ad morbum attenderis.*

*§. 3. Præferendus est Clinicus ingeniosus in morbis minoris momenti; Judiciosus vero in morbis difficilioribus.*

*§. 4. Præferendus est Clinicus ingeniosus judicioso in morbo ancipiti.*

*§. 5. Præferendus est Clinicus ingeniosus, si aliquoties ipse morbo gravi laboraverit, judicioso si hic sepe egrotaverit.*

*§. 6. Præferendus est Clinicus ingeniosus in agendo, judiciosus in consulendo.*

*§. 7. Præferendus est Clinicus Ingeniosus, si consuetudine & consiliis judiciosi fruatur, quam si quando solus judiciosus curæ præest.*

*§. 8. Præferendus est Clinicus Ingeniosus cui associatur Judiciosus, Clinico judicioso, cui associatur ingeniosus.*

*§. 9. Præferendus est Clinicus ludiciosus, cui ingenium est, quod Mosi Aron; quod Marito Marita; quod Principi Consiliarius; hinc enim noverit utile miscere dulci & in præsci erit felicissimus.*

*Emendanda.*

*Pag. 7. lin. 35. Severitatem l. hilaritatem. Pag. 8. lin. 19. memois l. memoria. lin. 29. vim. l. vis. Pag. 19. fere l. ficere. Pag. 25. lin. 7. plus l. Jus. Pag. 26. lin. 15. ein l. im. Pag. 30. l. 30. participt l. participant.*



Rostock, Diss., 1715-23

ULB Halle  
005 016 037

3



TA → OL

nr 1+3 Stück verknüpft





B.I.G.

Farbkarte #13

1718, 3. <sup>10</sup>/<sub>3</sub>

A. & D.  
DISPUTATIO MEDICA  
DE  
**DIFFERENTIA**  
**INGENII ET JUDICII**  
IN  
MEDICO CLINICO,  
ANNEXO PROBLEMATO  
UTRUM ALTERI SIT PRÆFERENDUM?  
**Ob von einem vernünftigen oder verständi-**  
**gem Medico mehr zu halten?**  
Quam  
SUB PRÆSIDIO  
**DN. GEORGII DE THAR-**  
**DINGII,**  
MED. DOCT. & PROFESS. PUBLIC. DUCAL.  
ACAD. NATUR. CURIOS. COLLEGÆ  
CELEBERRIMI,  
*PATRONI ET PRÆCEPTORIS ÆTERNUM*  
*DEVENERANDI,*  
Ad diem I. Octobr. MDCCXVIII.  
publicè ventilandam sistit  
*RESPONDENS*  
**JOHANNES CHRISTOPHORUS**  
**HEINTZE,**  
Wittenburg. Megapolitan. Med. Stud.

ROSTOCHII, Typis NICOL. SCHWIEGEROVII, Ampliff. Sen. Typogr.

